DE PASSIONE
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
HISTORIA
PER
QUÆSTIONES
&
RESPONSIONES
Ex PATRIBUS & THEOLOGIS
DESUMPTAS
ILLUSTRATA.

AUCTORE
R. P. Georgio Gengell Societatis JESU Theologo.

CALISSII
Typis Collegii S. R. M. Societatis JESU, Annô 1727.

FACULTAS.

MARTINUS TRAMPCZYNSKI
Præpositus Provincialis Soc: JESU per Poloniam.

CUm Opus, quod inscribitur: *Historia de Passione Christi &c*: Authore R.P. Georgio Gengell aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, Potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro Michàéle Angelo Tamburino, Societatis Nostræ Præposito Generali, Facultatem concedo ùt Typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus Fidem, has Literas manu mea firmatas & Sigillô, dedi. Cracoviæ 21. Junii Annô Domini 1727.

MARTINUS TRAMPCZYNSKI
Societatis JESU.
mp.

IMPRIMATUR.

JOANNES GAŁCZYNSKI

Canonicus Cathe: Gnesnensis Officialis & Archi-diaconus Calissiensis mp.

QUÆSTIO I.

Christus Dominus verène Passus, Crucifixus, & mortuus est?

I.

PRæmitto 1mò. Mahumetani credunt Christum esse Messiam in Lege antiqua promissum, & Sanctissimum Prophetam, natum ex MARIA Virgine, illæsâ ejus Virginitate, conceptumquè fuisse inspiratione aut inflatione Divina, sinè Patre, sicut Adamus creatus fuit sinè Matre. *Hucusq; bene.* Inter alios autem gravissimos eorum errores, est & iste; quòd communissimè negent, Christum Cruci affixum esse, & mortuum. Mahumetes enim (qui obiit circa Annum Christi sexcentesimum trigesimum) in suo Alcorano, Lib. 2. Azorâ 6tâ. seu cap. 6to. dicit. *Judæi, Mariæ blasphemiam & immoderatam contumeliam inferunt, seq; Christum, Mariæ Filium peremisse exhibent: sed nequaquam Eum, sed sui similem suspendentes, interfecerunt.* Idem & alibi asserit in suo Alcorano. Itaquè Mahumetani, saltem plurimi asserunt, nón Christum, sed alium, Ei similem, esse mortuum. Est autem communis eorum error, quòd Christus Dominus, eâ ipsâ horâ, quâ Judæi Eum comprehendere voluerunt, figuram suam imposuerit Judæ proditori, sicquè Judam captum, flagellatum, crucifixum. Vide etiam dicta infra, in hac Quæstione, numerô 7.

Mahumetanorum quisnam sensus de Christo D. ejusq; passione?

Hæreticorum quorundam crassus error de Passione Christi.

2. *Præmitto 2.* Non multùm huic absimilis fuit error Basilidis Hæretici: de quo S Epiphanius in Opere suo *Panario* contra omnes Hæreses, quæ tunc 80. numerabantur, Hæresi 24. ita scribit. *Basilides impostor confingit nobis aliumfabulæ ac drammatis actum. Non JESUM passum esse asserens, sed Simonem Cyrenæum: nam quoniam Dominus Hierosolymis dum educeretur, velut Evangelii series habet, coëgerunt quendam Simonem Cyrenæum adportandam Crucem. Hinc reperit, ut nequitiæ suæ tragædiam confingeret, & illum* (inquit) *qui portabat Crucem, transformavit in suam speciem, & seipsum in Simonem, & pro seipso tradidit Simonem, ut crucifigeretur. Cùm autem ille crucifigeretur, stabat ex opposito invisibilis JESUS, deridens eos, qui Simonem crucifigebant. Ipse verò discessit ad Cælestia, tradito Simone ad Crucifigendum, & illæsus processit ad Cælum. Verùm ipse Simon Crucifixus est, & non Christus.* Hucusq; S. Epiphanius, Episcopus Salaminæ in Cypro: qui vixit annos 115. quem plurimùm deprædicant SS. Patres, ut Hieronymus Lib. de Scriptoribus Ecclesiæ, & alibi. Augustinus Lib. de Hæres. Theodorus Studita, lib. 2. contra Iconomachos & alii. Idem de Basilide referunt S. Irenæus lib. 1. contra Hæreses cap. 23. Tertull: lib. de Præscript: Hæret: cap. 46. &c. Manichæus item (ut testatur S. Augustinus lib. de Fide contra eundem. cap. 22.) asseruit, non Christum, sed diabolum, Cruci fuisse affixum. Hìs præmissìs.

3. *Respondetur ad Quæstionem Affirmativè*, grandequè delirium est, id negare.

Veritas Passionis & Crucifixionis Christi, rationibus certissimis cōprobatur.

Probatur. Quia Christum D. esse Passum Cruciq; affixum, & mortuum, testantur non solùm omnes 4. Evangelistæ in suis Evangeliis, quæ conscripserunt in diversis locis & temporibus; nec item solùm sancti Apostoli, Petrus Actorum cap. 2. & 4. Paulus in suis Epistolis 1. ad Corinth. 1. & ad Philip. cap. 2. verùm id longè antè prædixerunt Veteris Testamenti Prophetæ. Certè Isaias, qui prophetavit ferè octingentìs annìs ante Christi adventum, toto capite 53 agens de Passione, morte Christi, ejusq; fructibus; inter alia habet hæc. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus Eum quasi leprosum & per-*

percussum à DEO, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: - - & Livore Ejus sanati sumus-Posuit Dominus in Eo iniquitatem omnium nostrûm. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur. Cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. Lege item Regis & Prophetæ S. Davidis Psalmum 21, quem Christus Cruci affixus cum lachrymis recitavit. *DEus DEus meus, &c.* continet is adeo Christi passionem clarè, ut non tam Prophetia, quàm Historia Passionis Christì esse censeatur. In dicto Psalmo habentur & hæc. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Diviserunt sibi vestimenta mea, & supra vestem meam miserunt sortem.* Item Psalmo 95: juxta 70. Interpretum versionem (qui Interpretes, fuêre Judæi, & ferè trecentìs annìs, ante Chrsti adventum, Vetus Testamentum ex lingua Hebræa in Græcam transtulerunt) legitur: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.* Et licèt nec in vulgata editione, nec in Hebræis codicibus habeatur particula illa. *à ligno,* tamen olim fuisse hanc particulam in Hebræo textu, & malitiâ Judæorum expunctam, asserit S Justinus Martyr, in Dialogo cum Triphone Judæo; & ita refert etiam illum locum Psalmi, Tertullianus contra Judæos cap. 10. & 12. & S. Leo Papa, Sermone 4to de Passione. S. Cyprianus in lib. de Monte Syna & monte Syon &c. & Ecclesia videtur censere hanc esse genuinam lectionem, dum canit in Hymno. *Impleta sunt, quæ cecinit David fidelis carmine dicens: In nationibus regnavit à ligno DEus.* Apud sanctum etiam Danielem Prophetam Cap. 9. legitur. Sanctum Archangelum Gabrielem dixisse Danieli. Quòd post hebdomades septem, & post hebdomades sexaginta duas, id est, post sexaginta novem hebdomades (annorum) *occidetur Christus.* Porro septuaginta hebdomadæ annorum, seu Anni 490, finiti sunt, tertiô Annô post mortem Christi. Vide Cornelium à Lapide in capitis 9. Danielis versum 26. Nullum item exemplar Evangeliorum vel Veteris Testamenti, qualicunq; lingua conscriptum, ante adventum Mahumetis, reperibile est, in quo non reperiantur prædicta testimonia de morte Christi.

 4. *Respon-*

4. *Responsio insuper Confirmatur multipliciter.* *1mò.* Quia aliàs Christus D. gravissimè illusisset Dilectissimæ Matri suæ, mæstissimæ, stanti juxta Crucem, & credenti, Filium suum inter duos latrones pendere, non Judam *vel* Cyrenæum. *2dò.* Quia multa miracula, quæ facta sunt in morte Crucifixi: ut insolita obscuratio solis, scissio petrarum, terræ totius tremor, monumentorum apertio, Latronis conversio; Multa item prodigia, quæ fecit Deus per signum Crucis, clarè probant, Eum qui crucifixus est, fuisse verum Christum. *3tiò.* Quia constat, Judam laqueô se *suspendisse & suspensum crepuisse medium: Diffusaq; fuisse omnia viscera ejus.* Ut legitur in Actis Apostol. cap. 1. *4tò.* Quia Gentilium Prophetissæ Sibyllæ, quarum oraculîs nihil habent Ethnici veriùs, aut fideliùs (unde Poëta fidem suis dictis aucupans, dixit. *Credite, me vobis folium recitare Sibyllæ.*) manifestè prædixerunt longè antè, passionem & mortem Christi. Hinc S. Augustinus Tomô 6tô in Oratione sua contra Judæos, Paganos, & Arianos, ait: *Sibyllinos versus, Christi Passionem apertè demonstrantes, intentissimè audiamus.* Recensetquè eos taliter.

Sibylla longè antè, singula Christi tormenta prædixit.

5. *In manus iniquas, & infidelium postea veniet.*
Dabunt DEO alapas manibûs incestîs.
Et oribus immundis exspuent salivas venenosas.
Dabit autem in verbera omnino innocens dorsum.
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat,
Quod verbum, & unde venit, & mortuis loquatur:
Et coronam portabit spineam
In cibum autem, fel, & ad sitim, acetum dabunt
In hospitalitatis hanc monstrabunt mensam
Ipsa enim stulta, Deum tuum non cognovisti
Ludentem mortalibus mentibus; sed & spinis
Coronâsti coronâ, horridumq; fel miscuisti.
Templi verò velum scindetur, & die
Medio, nox tenebrosa nimis tribûs horîs,
Et mortis fatum finiet, trium dierum somnô susceptô.
Et tunc à mortuis regressus in lucem veniet
Primus resurrectionis initium revocatus ostendet. Hos

Hos eosdem versus, totidem fermè verbis, habet sanctus idem Doctor, Tomô 5. lib. 18. de Civit: DEI. cap. 23. Continentur etiam apud Lactantium Firmianum, lib. 4. Divinarum Institutionum cap. 14. Floruit Lactantius sub Diocletiano Imperatore, & ad Principatum Constantini Magni in Senectute pervenit, teste S. Hieronymo in lib. de scriptor. Eccles. fuitq; in pretio apud Constantinum, & quòd Crispum, ejus Filium, Rhetoricam docuerit, fertur. Alia Sibyllina oracula de crucifixione Christi. Vide infra in Quæst. XXII.

6. *Accedit.* Quia ipsemet Mahumetes in Alcorano suo librô 1. Azorâ 2. ait: *DEus dixit Christo: sinam, ut patiaris, & mortem subeas: cæterùm die 3tio te suscitabo, & supra omnes Cælos te exaltabo.* Et Azorâ 3tiâ ait. *JESUS Christus passionem & mortem voluntariè sustinuit pro salute multorum, & 3tiô die surrexit & in corpore suo redivivo, in cælum ascendit.*

Mahumetes quidnam in Alcorano dicit de morte Christi?

7. *Nota 1.* Ex eo, quòd Mahumetes, ut vidimus num. 1. & 6. manifestè sibi opposita scripsit in suo Alcorano de morte Christi, oppositæ etiam apud Mahumetanos sunt opiniones de morte Christi. Alii enim sentiunt, Christum revera fuisse mortuum, ac tertia die resurrexisse. Alii tamen communiter, constanter id negant, asserentes, non Christum, sed ejus umbram, aut hominem illius figuræ, vel potiùs Judam proditorem crucifixum, in quem Christus suam speciem transtulit.

8. *Nota 2.* Si quæratur quomodo Mahumetes, qui erat vir astutus & sagax, tam manifestam contradictionem de morte Christi, in suo Alcorano reliquit? *Responderi solet:* id etiam ex eo factum; quia initio, cùm Mahumetes cæpit in Schedulis scribere, tanquam revelationes sibi factas per Angelum Gabrielem à Deo, ea, quæ audierat à Christianis, (fuit enim priùs idololatra) vera scripsit de morte Christi, & resurrectione; sed postea, quia Judæi, ipsi valde infensi ob laudes Christi, quas prædicabat, jactitabant, JESUM Nazarenum Mariæ Filium, non fuisse sanctum, nec Messiam, ut Mahumetes prædicabat, sed hominem blasphemum, qui se falsò Filium DEI faciebat, ideoq; meritò à Majori-

Cur manifestè sibi opposita habentur in ejus Alcorano?

bus suis occisum; ut se vindicaret de Judæis, illos confundere cæpit, fabulam illam in vulgus spargendo, quòd scilicet Judæi, non Christum, sed Ei similem occiderint. Porro sciendum est, Mahumetem, mortuum esse, antequam schedulas illas suas recognosceret, & contradictiones deleret, & Alcoranum in unum volumen digereret. Non enim Mahumetus, sed Homar, ejus Socer, & tertius Arabum Ahalypha (vel ut alii volunt, Hozmen, gener Mahumetis qui immediatè post Homar successit) schedulas ex arca *legationis* extraxit, & ex illis Librum Alcorani, composuit.

QUÆSTIO II.

Quidnam impulit Judam ad vendendum Christum? & quônam pretiô venditus ab eo Christus Dominus?

9. PRæmitto. Certùm est, Christum D Judæis esse venditum à Juda argenteis triginta: legitur enim Matth. cap. 26. *Abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego vobis Eum tradam?* & Matthæi 27. *Videns Judas, qui Eum tradidit, quòd damnatus esset, pænitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum.* Quanti verò ponderis & pretii fuerint illi argentei, anceps & antiqua dubitatio est, profecta ex eo, quòd vox hæc *argenteus*, sit valde æquivoca & varias monetas ex argento factas significare solet. 1. S Ambrosius censet Christum esse venditum triginta denariis, dicit enim lib. 3. de Spiritu S. cap. 18. *O Juda proditor, unguentum Passionis Ejus, trecentis denariis æstimas, & Passionem Ejus triginta denariis vendis; dives in æstimatione, vilis in scelere.* Porro 30 denarii, sunt 30 Julii Romani, qui faciunt tres aureos. 2. Budæus, Ribera, Cornelius à Lapide, Ludovi-

cus

cus de Tena, & multi alii doctissimi, sentiunt illos argenteos triginta, attingere pretium sex aureorum. 3. Maldonatus, Villalpondus, Lorinus, Raynaudus & plurimi alii sapientissimi scriptores, asserunt, 30 illos argenteos æquivalere decem circiter aureis. 4. Cardinalis Baronius in Annalibus suis ad Annum Christi 34, aliam novam excogitavit sententiam, affirmans, argenteum unum, sumi pro una argenti libra, adeoq; argenteos 30, esse ferè trecentos aureos. Hôc præmissô.

Avaritia radix proditionis à Juda facta.

10. *Respondeo 1. Christum D. vendidit Judas propter avaritiam.* Hæc est communis sententia ferè Omnium Patrum, è quorum numero aliquos profero. S. Ambrosius Serm: 14. in Psalm. 118. vers. 6. *Aperuit* tibi Apostolus auctorem omnium peccatorum & demonstravit dicens: *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli* (1. ad Timoth. 6.) *Advertis laqueum diaboli esse divitias. Hic laqueus Judam Apostolum strangulavit; qui miser, cùm esset illaqueatus, ut proderet Dominum, ubi advertit, quantum sceleris esset admissum, laqueô se ipse suspendit.* S. Augustinus Serm. 26. de Verb: Apost: *Auri amor, Judam fecit, & ne alicui sit nomen ignotum, de Apostolo Proditorem.* Et in Psalmum 63. *Avaritia quæ captivavit discipulum Comitem Christi, captivavit & militem custodem sepulhri.* S. Leo serm. 9. de Pass: *Impius Judas non timoris perturbatione deseruit Christum, sed pecuniæ cupiditate distraxit. Videte, quæ germina & quales fructus de avaritiæ stirpe nascantur; quàm meritò Apostolus radicem omnium malorum esse definiit: quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis illicitus appetitus, istius aviditatis est morbus. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit: nullumq; est in illo corde Justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum.* Non absimilia habet S. Cyprianus serm. de Jejunio & tentatione, & S. Chrysostomus, Hom. 81. & 82. & 84 in Matthæū.

Confirmatur Responsio ex verbis ipsiusmet Judæ. Matt. 26. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis Eum tradam?*

Argentei 30. quibus Christus D. venditus, quantinam valoris?

11. *Respondeo 2. Non adeò est probabile, triginta illos argenteos, æquivaluisse trecentis ferè aureis. Ratio est.* Quia ut

bene

bene arguit Magnus Suarez Tomo 2. in 3. p. D. 34. Sectione 1.
" [Quomodo credi poteſt, Judæos tam facilè obtuliſſe trecen-
" tos aureos, propter opus, quod nullius ferè laboris vel negotii
" erat? præſertim, cùm Judas nec rogatus, nec quæſitus, ſeſe ad
" tradendum Chriſtum obtulerit, propenſumque oſtenderit?
" Unde S. Hieronymus in Cap. 26. Matt. hâc conjecturâ colligit,
" Judam vili pretiô Chriſtum vendidiſſe, *ſed quaſi vile* (inquit)
" *tradens mancipium in poteſtate ementium poſuit, quantum vellent*
" *dare.* Et cæteri omnes Expoſitores, idem ſentiunt, illud ſcili-
" cet pretium fuiſſe multò minoris valoris.] Item Cornelius à Lapide dicit. [Verùm quis credat, Judæos avaros, vili Judæ, operam ſuam eis ultrò offerenti, non ad venditionem, ſed ad proditionem & indicium duntaxat hominis quotidie obvii, tantum pretium conſignâſſe? præſertim cum Patres & Zacharias Propheta cap. 11. verſ. 12. hoc pretium, quaſi parvum, vile, & indignum miretur.]

12. *Reſpondeo 3. Multùm probabile eſt, quòd illi triginta argentei æquivaluerint pretio aureorum ſex. Probabilius tamen, quòd æquivaluerint pretio aureorum circiter decem. Ratio Primæ partis eſt:* Quia nummus, qui ex illis 30 argenteis, quibûs venditus eſt Chriſtus, aſſervatus eſt Romæ in Templo S. Crucis in Jeruſalem, ſi ei apponerentur omnino ſimiles 29 argentei, tunc nonniſi ſimul ſumpti, æquivalerent pretio aureorum ſex, ut refert oculatus teſtis Cornelius à Lapide in Cap. 26 Matt. ver. 15. Budæus etiam lib. 5. de Aſſe. aſſerit ſimilem ſe vidiſſe nummum Pariſiis, & ſimilis valoris. Hinc quoq; Zacharias Propheta videtur hoc pretium per ironiam vocâſſe *decorum*, id eſt indecorum & viliſſimum. cap. 11. *Et appenderunt mercedem meam, triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quô appretiatus ſum ab eis. Ratio 2dæ partis* præter Auctoritatem tot Doctiſſimorum ita ſentientium: & præter id, quòd hæc Sententia, inter extremas propoſitas, eſt quaſi media. *Ratio* inquam *ſecundæ partis eſt: Tum* quia *argenteus* ſubſtantivè ſumptus, juxta uſum Scripturæ Sacræ 2. Regum cap. 18. ſignificat ſiclum, triginta autem

autem ſicli, æquivalent aureis decem, ut ferè omnes conſentiunt. Tum quia hæc opinio commodè pretium venditionis Chriſti, cum pretio ſervi componit: pretiô enim decem aureorum, juxta legem Exodi cap. 21. ver. 31. ſervi occiſi vita æſtimabatur, & redimenda erat ab occiſione.

13. *Adverte.* Pater Suarez locô ſuprà citatô, cenſet æquè eſſe probabile, Chriſtum D. venditum eſſe pretio æquivalente aureis ferè ſex, vel decē. Idē cenſet in ſua Concordia Evangelica cap. 128. Cornelius Janſenius, Gandavenſibus Infulis & Theologicis Lucubrationibus celebris, qui eruditis Voluminibus, ſed maximè Concordiâ Evangelicâ, rem Catholicam probè illuſtravit, incorruptæ limæ ſcriptor. Non Cornelius Janſenius, Iprenſis Epiſcopus, qui virulentam hæreſim è Michaëlis Baji commentis eruptam, toto ingenio hauſit.

14. *Neq; dicas* cum Cardinali Baronio. S. Matthæus cap. 27. tradit, cùm Judas retuliſſet 30 argenteos Principibus Sacerdotum, eos conſiliô initô, emiſſe ex eis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum, ex quo & ager nomen accepit, ut ſit dictus Acheldema, hoc eſt: Ager ſangvinis: quomodo autem pretiô aureorum ſex, vel decem potuit emi ager figuli, in ſepulturam peregrinorum? *Reſpondet* enim Cornelius à Lapide, quòd ex hebræo *ſade*, & ex Syriaca lingua, *chakel* id eſt, ager, ſignificet campum, ſive terram quamvis, licèt ſabuloſam, petroſam, mericoſam, & ſterilem, utì ſunt arenaria, qualis videtur hîc fuiſſe, ſcilicet ad arandum & alios uſus inepta, illaquè exigua: tantùm enim ſervivit ſepulturæ peregrinorum, quæ exigui ſolet eſſe pretii, utì ſunt cæmeteria Judæorum extra Urbes in Germania: fortè etiam reliquum pretii, quod 30 argenteis deerat, ſuppleverunt & addiderunt Principes ex Corbona. Præſertim, quia (ut ait Suarez) eô tempore moneta carior erat, quàm nunc ſit, quarè tunc decem aureis emi poterat ager, qui nunc fortaſſe non potuiſſet centum aureis comparari. Addit Pater Raynaudus. Si Jeremias, ſiclis, ſive argenteis 17. agrum emit. ut legitur Jeremiæ cap. 32. quantò magìs licuit agrum aliquem, loco non admodum opportuno & vili (tametſi

ut volunt aliqui, intra Urbem) comparare argenteis ſiclis triginta.

Quando nam illi argentei dati ſunt Judæ? & à quo?

15. Porrò ſciendum, quòd illi triginta argentei, necdum Judæ fuerant traditi à Judæis ante comprehenſionem Chriſti in horto, ſed tantùm erant ei antea promiſſi, ut planè conſtat ex verbis illis S. Matthæi cap. 26. verſu 15. ubi dicitur: *Conſtituerunt*, id eſt, addixerunt & promiſerunt *ei triginta argenteos*: & ideo dixit Judas turbæ, & militibus, qui venerant ad comprehendendum Chriſtum, ut legitur apud S. Marcum cap. 14. v. 44. *Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.* Verebatur enim Judas, ne Chriſtus ſe transformando (ut ajunt Origenes & S. Hieronymus) occultaret ſe, & effugeret. ac ſic privaretur 30 argenteis ſibi appromiſſis: qui modoprimùm ſunt ei in Domo Annæ dati, quando adductus eſt Chriſtus ad Annam ſocerum Caiphæ: & quidem ab ipſomet Anna tunc Judam accepiſſe illos 30 argenteos cenſet S. Cyrillus: idquè etiam cum pluribus ſentit, Cornelius à Lapide: Annas enim præcipuè optabat & procurabat, ut Chriſtus caperetur. Unde Satellites Chriſtum captum, primò ad Annam, quaſi in triumphum duxerunt (ut dicit S. Chryſoſtomus) ut Annam exhilararent, & viciſſim ab eo, aliquo munere ob adductum Chriſtum donarentur.

Ad meliorem intelligentiam dictorum hìc, & Eruditionis gratiâ.

16 Nota imò. Figura venditionis Chriſti, fuit Joſephi venditio, quâ à fratribus venditus fuit Madianitis; ut legitur Geneſis cap. 37. Joſeph quidem venditus fuit 20 argenteis, Chriſtus 30: non debet enim in omnibus figura convenire cum re repræſentata: in hoc tamen ſervata eſt proportio figuræ, quòd ſervus minori pretiô venditus ſit, quàm Dominus.

17. *Nota 2dò*, Matthæus cap. 27. verſu 9. dicit illos 30 argenteos eſſe pretium de quo ſcriptum eſt per Jeremiam Prophetam *Et acceperunt 30 argenteos pretium appretiati, quem appretia-*

verun

verunt à filiis Israël. Cùm tamen verba hæc non leguntur apud Jeremiam, sed similia leguntur apud Zachariam cap. 11. *Appenderunt mercedem meam 30 argenteos.* Quomodo ergo Matthæus, Jeremiam locò Zachariæ allegavit? Quidam respondent: In Jeremiæ Codicibus, per Judæos vel per hæreticos fuisse erasa illa verba, & ita censuit Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus, qui floruit Annô Christi 544. Alii sentiunt, Binomium fuisse Zachariam. Nonnulli dixerunt, intercidisse Librum aliquem Jeremiæ, quem Matthæus protulit: idquè asseruerunt non absquè fundamento; siquidem Jeremiæ descriptiones, quæ interciderunt, in lib. 2do Machabæorum cap. 2. v. 1. citantur. Verisimiliùs tamen videtur Patri Suarez & aliis pluribus, Evangelistam non posuisse nomen Jeremiæ, sed simpliciter nomen Prophetæ: ab aliquo autem additum esse nomen Jeremiæ in margine: postea irrepisse in textum in aliquibus Codicibus, non enim in omnibus habetur. Et hæc est sententia S. Hieronymi, quam Jansenius cap. 140 magìs probat & eandem sequitur Cardinalis Baronius.

18. *Nota 3tiò.* Prosper Stellarius in Fundaminibus Ordinum, pag. 87. affirmat, in Bibliotheca Augustinianorum Tornacensium haberi antiquum manuscriptum Codicem, ex quo asserit se descripsisse ea, quæ sequuntur. [Legitur in quadam Historia Regum Orientalium, qui Domino munera obtulerunt, quòd Thare, Pater Abraham, cùm fecisset monetam, seu denarios ex jussu cujusdam Regis Mesopotamiæ, qui dicebatur Ninus, & recepisset triginta denarios pro suo salario; hos denarios dedit Abrahæ, qui ipsos in peregrinatione in exilio consumpsit. Ad diversas manus transeuntes iidem denarii, ad manus Ismaëlitarum devenerunt, & pro ipsis à fratribus venditus est Joseph; & dum dominaretur in Ægypto, hi argentei à fratribus pro frumento ad manus Joseph sunt traditi, & ipsis fratribus restituti. Fratres, ipsos denuo dispensatori Joseph dederunt, qui ipsos misit in Saba pro mercimoniis ex parte Pharaònis. Et temporibus Salomonis, dum ab Oriente venit Regina Saba, audire Ejus Sapientiam, ipsos triginta argenteos obtulit in Templo.

Argentei Judæ unde?

" Et temporibus Roboam dum Nabuchodonoſor Rex Templum
" ſpoliavit, & theſaurum abſtulit, ipſos 30 denarios cum aliis The-
" ſauris tradidit Regi Godoliæ, qui ſecum erat in exercitu, &
" ſic cum aliis Theſauris Regis Godoliæ, uſque ad Nativitatem
" Chriſti permanſerunt, & tunc Regnum Godoliæ eſt translatum
" in Regnum Nubiæ. Natô itaquè Dominô, & Melchior Rex
" Nubiæ, videns in ſtella, Chriſtum de Virgine natum, ipſos
" triginta denarios (quia antiquius & Nobilius aurum in Theſau-
" ris ſuis non invenit) DEI nutu, Chriſto obtulit. Poſtea Beata
" Virgo MARIA in Ægyptum fugiens metu Hærodis, in loco in
" quo nunc eſt hortus balſami, eos amiſit: quos quidam paſtor
" reperit & penes ſe, triginta annis ſervavit, & cùm fama crevit
" de Chriſto, idem paſtor in Jeruſalem ſe tranſtulit, & JESUS
" eum ab infirmitatibus liberavit. Et Chriſto in Templo præ-
" dicanti & docenti, ipſos 30 argenteos & alia Magorum mu-
" nera obtulit: quos JESUS recipere renuens, ſed ipſos dena-
" rios in Templo offerre, & omnia munera ſuper altare ponere
" præcepit: quod & paſtor fecit: & Judæi ipſos 30 argenteos in
" carbonam projecerunt, & poſtea ipſos denarios pro traditione
" Judæ dederunt. Judæi reportatis denariîs, agrum figuli pro
" quindecim denariis emerunt, & reliquos quindecim, militibus
" ſepulchrum Chriſti cuſtodientibus tradiderunt: & cùm factum
" erat de denariis, quod erat prædeſtinatum, ſtatim fuerunt divi-
" ſi, & hinc inde diſperſi; ſed antequam non erat factum, quod
" de ipſis fieri debuit, ſemper inſimul manſerunt, ut audiſtîs.]
Hucuſque Stellarius ex illo Codice. Hoc totum, quod contine-tur in Notato iſto tertio, refert etiam Eruditiſſimus P. Theophilus Raynaudus Tomô IX, in Libro cui titulus: *Optimæ Vitæ, finis peſſimus.* cap. 12. Cenſetq; eſſe merum commentum & meritò: utpote Tum quia (præter alia) Narratio prædicta deſtituta eſt omni fundamentô ſolidô, & Auctoritate Patrum. Tum quia conſtat ex vera & probata lectione Scripturæ Sacræ, Joſephum eſſe Iſmaëlitis venditum, viginti argenteis, non triginta.

19. *Nota 4tò.* Ager, illis triginta argenteis emptus, situs est ad australem plagam montis Sion, ut testatur S. Hieronymus: habuitquè (ut refert Adrichomius) à tergo montem ejusdem nominis mediocriter altum, jactu lapidis à piscina superiore distantem. Ejus medium S. Helena Magni Constantini Mater, quatuor murîs, longitudine septuaginta duorum, latitudine verò quinquaginta pedum, includi curavit, ac superiùs concamerari testudine, septem foraminibus patente, per quæ defuncta Christianorum peregrinorum corpora demitterentur. Dictus est ager ille *ager figuli*: vel quia verè fuerat cujusdam figuli, à quo emptus est. Ut vult Pater Raynaudus: vel quia fragmenta fictilium vasorum eò asportabantur. ut sentit Pater Maldonatus & Villalpondus.

De agro, illis 30 argenteis empto, notabilia quædam referuntur.

20. *Nota 5tò.* De hoc agro figuli, qui posthac nominatus est *ager sanguinis*, sive *Haceldama*, Adrichomius in descriptione Jerusalem, numerô 216. pag. 173. scribit hæc: *Est hujus terræ virtus mirabilis, & fidem penè superans, quòd defunctorum corpora, viginti quatuor horarum spatiô in pulverem redigat; quam virtutem etiam in alias Regiones devecta, minimè perdit: nam cùm jussu Imperatricis Helenæ, de hoc agro, quantùm terræ, plures naves capere poterant, Romam advectum, ac juxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem Incolæ Campum sanctum vocitant, licèt Cælum mutârit, eandem tamen retinere vim quotidiana experientia docet: Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepultùram admittit, quorum etiam hic omnem carnis substantiam, inter viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tamen residuis. Hæc Adrichomius.* Non absimilia de illo agro scripserunt Brochardus, Nicephorus, Bredembachius, & alii. Pater item Cornelius à Lapide scribit hæc. *Sæpiùs Romæ vidi & visi Campum sanctum, ac ita se rem habere ab ipso loci Parocho, Ejusq; asseclis, & Romanis cæteris audivi.*

21. *Nota 6tò. Si quæratur 1. Quarenam Christus D. elegit Judam in Apostolum, etsi sciebat, eum fore suum proditorem? 2. Quarenam Christus D. fecit Judam procuratorem suum, & Apostolorum,* com-

Christus D. cur Judam elegit in Apostolũ & suum Procuratorẽ?

committendo ei curam loculorum, in quibus à Fidelibus oblata conservabantur, & inde suorum necessitatibus, & aliis tribuebatur indigentibus, cùm tamen Christus D. non inscius erat furtorum à Juda perpetrandorum in tali munere. Scripsit S. Joannes cap. 12. de Juda *Fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur* (id est offerebantur Christo) *portabat. Ad primam partem quæsiti hujus Respondet* S. Ambrosius lib. 5tô in Lucam: *Eligitur & Judas, non per imprudentiam, sed per providentiam, scilicet ab eo prodi voluit Christus, ut tu, si à socio desertus, si à socio proditus fueris, moderatè feras, tuum errasse judicium, periisse beneficium.* Cornelius verò à Lapide in Cap. 10. Matth. *Respondet.* (plurimis Doctissimis eam responsionem approbantibus) ideo id factum; quia Christus volebat passionem suam esse plenissimam in omni genere, ideoquè voluit pati quoquè à Discipulis, & prodi à suo Juda: voluit enim pati omne genus tormentorum, & ab omni hominum genere. *Ad 2dam partem Quæsiti, in hoc Notato 6to respondet* S. Chrysostomus, Homiliâ, quòd nemo læditur, nisi à seipso inquiens. [Sciebat Christus, quòd avarus esset Judas, & pro amore pecuniæ periturus, & non solùm non arguit eum pro hoc vitio, sed & latentibûs medicamentîs curare voluit, ipsi comittens dispensationem pecuniæ, ut habens in manibus, quod desiderabat, perniciosa passio, expletâ cupiditate cessaret, nec decideret in illam mortis foveam, sed minoribûs malîs majora deprimeret.] Non absimiliter respondet S. Ambrosius lib. 1. de Officiis, nec non Origenes Homiliâ 4. in Cantica. Rupertus lib. 10. in Joannem ad illa verba Capitis 12. *Quia fur erat.* dicit *Ignoramus, utrum Dominus electione sua loculos suos ei commiserit, aut certè, quod credibilius est, ille se ingesserit.*

Judas à quo baptizatus? & quænam bona præstitit?

22. *Nota 7mò.* Patrum antiquorum sententia est, teste Euthymio, B. Virginem & S. Petrum à Christo ipso esse baptizatos: & Evodius, S. Petri in Cathedra Antiochena successor, in Epistola sua asserit, Christum suis manibûs baptizâsse, Andream, Joannem & Jacobum, & ab his cæteros Apostolos fuisse baptizatos; adeoq; & Judam, quem à Christo D. electum fuisse in Apostolum,

lum, testatur clarè Scriptura Sacra. Matth. 10. Luc. 6. Marci 3. Anastasius Papa ad Anastasium Imperatorem Epistolâ 2. & S. Augustinus lib. 3. contra Petilianum cap. 55. asserunt. A Juda, multis baptismum Christi esse collatum. Olympiodorus Enarratione 6tâ in Ecclesiastem affirmat, Judam non paucos filios DEO genuisse per verbum prædicationis. S. Chrysostomus Homiliâ 46. in Joannem & alibi ait. *Judam, omnes fatentur, signa fecisse: dæmones ejecisse; mortuos suscitasse: leprosos mundâsse.*

23. *Nota 8vò.* Non quidem omninò certum & indubitatum est, quòd Judas sumpserit Sacram Eucharistiam in Cæna ultima (id enim negant S. Hilarius Canone 30 in Matthæum. Clemens Romanus lib. 5. Constitutionum Apostolicarum cap. 16. Innocentius III. lib. 4tô de Mysterio Eucharistiæ Cap. 13. Rupertus lib. 5. in Matthæum & nonnulli alii) tamen longè probabilius est, quin & probabilissimum (utpotè Evangelicæ narrationi conformius, plurimorumquè Patrum ac innumerorum gravissimorum Theologorum testatius) Judam percepisse Sacram Eucharistiam. Perperam tamen nonnulli opinati sunt, panem illum intinctum, quem dedit JESUS Judæ, (ut legitur apud Joannem cap. 13. v. 27.) fuisse Eucharistiam: nam ut rectè ait Corn: à Lapide in prædictum locum S. Joannis, Christus non panem intinctum consecravit; sed panem siccum, æquè ac vinum purum ac merum. Dictus est *Iscariotes* quia (ut dicit S. Hieronymus in Isaiæ cap. 28. v. 1.) oriundus erat ex vico Iscarioth in tribu Ephraim, non longè à Samaria.

Judas an communicabit?

Iscariotes unde dictus?

24. *Nota 9nò.* Certum est, quòd Judas collum laqueo inseruerit, ac fuerit suspensus: id enim testatur S. Matthæus cap. 27. v. 5. Nec non S. Petrus in Concione sua, quam habuit ad Matthiæ subrogationem in Judæ Episcopatum, sic loquens de Juda (ut refert S. Lucas in Actis Apostolorum cap. 1.) *Possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* An autem suspendiô illô sit mortuus, aliquomodo est controversum. Græci enim sat multi (inter quos Oecumenius, Euthymius, Theophylactus) & nonnulli ex Latinis,

Judæ mortis genus.

ut & Petrus Comeſtor, negant Judam laqueô ſuffocatum obiiſſe. Oecumenius in Commentario ſuo ſuper Acta Apoſtolorum in Caput 1. Actorum ait: [*Judas, ſuſpendiô è vita non diſceſſit, ſed ſupervixit; dejectus eſt enim priusquam præfocaretur. Idq; Apoſtolorum Acta indicant, quòd pronus crepuit medius. Hoc autem planiùs ſcripſit Papias, Joannis Apoſtoli Diſcipulus, dicens: Ad magnum impietatis Exemplum, in hoc Mundo permanſit Judas, in tantum enim corpore inflatus, ut progredi non poſſet, cùm currus leni curſu pertranſiret, curru compreſſus eſt ita, ut effunderentur ejus inteſtina.* Euthymius, item ſcribit, quòd Judas agnitus à quibusdam depoſitus eſt ne præfocaretur. Deinde poſtquam in ſecreto quodam loco, modicô vixiſſet tempore, præceps factus, ſive præcipitatus, inflatus, diſruptus, ac diffuſus eſt medius. Theophylactus item Archiepiſcopus Bulgarorum qui vivebat Annô Chriſti 1070. in Commentario ſuo in Evengelia, ſuper 27 Matth. ait. *Judas poſuit quidem collum ſuum in laqueum, & cùm penderet ab arbore, inclinata arbore ſupervixit, dicunt enim, quòd morbô chydropicô laboravit ita, ut tranſire non potuerit orbitam, & deinde cecidiſſe pronum & crepuiſſe medium, hoc eſt diſruptum eſſe, ut dicit Lucas in Actis.*

Ferè tamen certum videtur eſſe, Judam laqueô ſuffocatum obiiſſe. Ratio eſt, quia expreſsè S. Matthæus ait: *Judas abiens, laqueô ſe ſuſpendit* ſeu ut Syriaca verſio habet, *ſe ſtrangulavit* Æthiopica *laqueô ſe ſuſpendit, & mortuus eſt.* Et hunc ſenſum eſſe verborum S. Matthæi tradunt communiſſimè ſancti Patres, Irenæus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Leo, &c. Pater Maldonatus in Cap. 27. Matth. cum nonnullis dicit. Judam, primùm quidem ſe ex loco edito, laqueô ſuſpendiſſe, ſequè inde præcipitem egiſſe, ſicut ſolent qui laqueô ſuſpenduntur inſerto laqueo de ſuperiore loco deiici, & præcipites dari, ut citiùs ſtrangulentur; poſtea verò, aut ruptô laqueô cecidiſſe, ac effudiſſe viſcera; aut cùm penderet, ita intumuiſſe, ut non quidem ſtatim, ſed aliquanto poſt tempore, medius crepuerit; nam omnes qui ſuſpenduntur, vehementer inflari ſolent Juvencus Præsbyter, Pòeta Chriſtianus (qui floruit Annô Chriſti 330. ſcripſitquè libros 4 Carminum,

qui-

quibus Evangelicam Historiam complexus est) asserit cum nonnullis aliis, Judam ex ficu se suspendisse, eamquè suô tempore superfuisse tradit S. Beda lib: de Locis Sanctis cap. 4. Vide Annales Baronii ad Annum Christi 34.

25. *Nota 10mò.* Fuerunt olim hæretici *Cajani* seu *Cainæi* appellati qui venditionem hanc à Juda factam, multùm approbabant; de quibus Tertullianus (qui floruit annô Christi 200.) lib. de præscript. adversus hæreticos Cap. 47. habet hæc. [*Cainæi Judam Proditorem defendunt, admirabilem illum & magnum, memorantes, propter utilitates, quas humano generi contulisse jactatur. Quidam enim ipsorum, gratiarum actionem, Judæ propter hanc causam reddendam putant; animadvertens enim (inquiunt) Judas, quòd Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset. Et alii sic è contra disputant, & dicunt: quia potestates hujus Mundi (id est dæmones) nolebant pati Christum, ne humano generi, per mortem ipsius, salus pararetur, saluti consulens generis humani, tradidit Christum, ut salus quæ impediebatur per virtutes, quæ obsistebant, ne pateretur Christus, impediri omnino non posset; ut ideo per Passionem Christi non possit salus humani generis retardari.*] Eadem habet de illis Cajanis, Sanctus Epiphanius, Hæresi 38. & attigit ex parte Sanctus Irenæus libro 1mò adversus hæreses. cap. ultimô: qui eam duntaxat blasphemiam illis tribuit, quòd dicerent, ad perficiendum salutis nostræ opus, Christum, à Juda, mysterii probè conscio fuisse traditum: S. etiam Augustinus Tomô Sextô, librô de Hæresibus, Hæresi 18. dicit: [*Cajani, propterea sic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes, eum fortissimæ esse virtutis: simul & Judam traditorem, Divinum aliquid putant esse, & scelus ejus, beneficium deputant, asserentes, eum præscîsse, quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Judæis propterea tradidisse.*] Cerinthus quoq; Judam in honore habuit, ut testatur S. Philastrius, Episcopus Brixiæ, in lib. de Hæresibus Cap. 27. Imò & Michàël Balbus, Constantinopolitanus Imperator, Judam asseruit esse Beatum. Sed hi Cajani, impudentes hæretici, ore ipsiusmet Judæ, convincuntur erroris gravissimi; is enim

Judæ Laudatores Cajani, & alii quidam.

cùm se peccâsse confessus est, dicens Matthæi 27. *Paccavi, tradens sanguinem Justum.* Cainorum *laudantium ipsum, dementiam redarguit* ut sapienter annotavit S. Epiphanius. Dictaq; Cajanorum insana opinio, evidenter repugnat verbis Christi D. Matth. 26. *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et S. Joannes cap. 13. dicit: *Cùm diabolus misisset in cor, ut traderet Eum Judas & post buccellam, introivit in eum Satanas, & exivit continuò.*

Quantù Cajani sunt abusi Scripturâ Sacrâ?

26. *Nota 1mò.* Prædicti Cajani pro stabiliendo tam enormi suô errore summè erroneè suffragium adducebant ex Scriptura Sacra, quæ idipsum, quod Judas fecit, ab æterno Patre factum, testatur, nam & Pater Filium pro nobis tradidit. Quod ergo tantum piaculum fuit Judæ, id ipsum admittere, quod Pater in Unigenitum admisit? Verùm ad hoc Sapientissimè respondet inter alios, " S. Augustinus Tractatu 7mô, in Epist: Joan: [Christum (inquit) " tradidit Pater, & tradidit Judas. Nunquid non quasi simile " factum videtur? Traditor Judas: ergo traditor est & DEUS " Pater. Absit, inquis. Non dico. Sed Apostolus dicit: *Filio pro-* " *prio non pepercit, sed pro nobis Omnibus tradidit Eum* Et Pater " illum tradidit, & Ipse se tradidit, ait idem Apostolus. *Qui me* " *dilexit & tradidit semetipsum pro me.* Si Pater tradidit Filium, " & tradidit seipsum Filius, Judas quid fecit? Facta est traditio " à Patre, facta est traditio à Filio, facta est traditio à Juda. una " res facta est. Sed quæ res discernit Patrem tradentem Filium, se " Ipsum Filium tradentem, & Judam Discipulum tradentem Ma- " gistrum suum? Quia hoc fecit Pater & Filius in charitate, fecit " autem hoc Judas in proditione. Videtis, quia non quid faciat " homo, considerandum est, sed quô animô & voluntate faciat? " In eodem facto invenimus DEum Patrem, in quo invenimus " Judam, Patrem benedicimus, Judam detestamur. Quare Pa- " trem benedicimus, Judam detestamur? Benedicimus charita- " tem, detestamur iniquitatem. Quantum enim præstitum est " generi humano de tradito Christo, nunquid hoc cogitavit Ju- " das, ut traderet? DEUS cogitavit salutem nostram, qua re-

dempti sumus. Judas cogitavit pretium, quô vendidit Dominum. Filius ipse cogitavit pretium, quod dedit pro nobis. Judas cogitavit pretium, quod accepit, ut venderet. Diversa ergo intentio, diversa facta fecit. Cùm sit una res, ex diversis eam intentionibus si metiamur, unum amandum, alterum damnandum; Unum glorificandum, alterum detestandum invenimus. Tantum valet charitas. Videte quia sola discernit, videte, quia facta hominnm sola distinguit.] Hucusq; S. Doctor. Similia habet & S. Petrus Damiani, Opusculô 4tô.

QUÆSTIO III.

Respondetur ad nonnulla quæsita concernentia tristitiam Christi, Gethsemani in Horto. Ejusdemq; ibidem Orationem, Sudoremq; Sanguineum, nec non confortationem Christi ab Angelo.

Quæritur 1. Veranè fuit tristitia Christi in horto & Quænam illius causa?

27. *Præmitto.* Christus D. multoties prædixit distinctè & ordine totam suam Passionem, item trinam negationem Petri, & sui à Juda proditionem: ut clarè patet ex Evangelio; deinde post Cænam ultimam, ut habet S. Matthæus cap. 26. *Venit JESUS cum Discipulis suis* (id est Apostolis) *in Villam, quæ dicitur Gethsemani & dixit Illis: sedete hìc, donec vadam illuc & orem.* (*illuc*, nempe in Hortum, quem Christus orationis causâ sæpè adibat, ut legitur apud S. Joannem Cap. 18.) *& assumptô Petrô & duobûs Filiîs Zebedæi, cæpit contristari & mæstus esse.* Porro Villa illa Gethsemani, erat ad radices montis Oliveti (ex quo monte postea Christus ascendit in Cœlum) posita: Olearum fæcunda: ut dicit S. Hieronymus: distabat à cænaculo, in quo Christus ultimò cænavit, sexcentis circiter passibûs. In illa Villa, relictis octo Apostolis, reliquos tres, nempè Petrum, Jacobum Majo- Gethsemani quid?

 rem,

rem, & Joannem, assumpsit secum in hortum, qui à villa Gethsemani, quasi jactu lapidis distabat: ut patet ex Lucæ cap. 22. v. 41. cœpitquè contristari Christus D. Hoc præmissô.

Christus verè tristabatur, sed liberè.

28. *Respondeo 1. Vera fuit tristitia in Anima Christi, dum esset in Horto.* Est certum ex Fide contra antiquos quosdam hæreticos, ut testatur S. Damascenus lib. de Hæresibus cap. 84. qui negabant veram in Christo fuisse tristitiam: idquè indicat & S. Chrysostomus in cap. 26. Matth. & S. Hieronymus in Commentario in cap. 22. Lucæ. In simili hæresi fuit Justinianus Imperator, qui censebat Christum D. fuisse impassibilem. Alii è contra Hæretici, ut refert in Comment. S. Thomas, docuerunt (nimis stultè de Divinitate sentientes) Christum D. etiam secundùm Divinitatem sensisse defacto dolorem & tristitiam.

Ratio Responsionis est: quia expresse ipsemet Christus dixit. *Tristis est Anima mea usq; ad mortem.*

Nota tamen *imò*. Christus D. non invitè, non còáctè, sed ultrò & sponte sua, voluntariè & liberè, quando voluit, quantum voluit, & quomodo voluit, tristis fuit. Unde S. Damascenus lib. 3. de Fide cap. 23. ait: *Permittebat carnem pati propria, sed nil in Christo còáctum. Volens enim esuriit, timuit, & contristatus est.* Et S. Augustinus in Psalmum 87. *Hos* (inquit) *humanæ infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem infirmitatis humanæ, ac mortem carnis humanæ, Dominus JESUS, non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit; ut transfiguraret in se corpus suum, quod est Ecclesia, cui Caput esse dignatus est, hoc est membra sua in sanctis & fidelibus suis, ut si cui eorum, inter humanas tentationes contristari & dolere contingeret, non ideo se ab Ejus Gratia putaret alienum, & non esse ista peccata, sed humanæ infirmitatis indicia, tanquam voci præmissæ concinens chorus; ita corpus Ejus ex ipso suo Capite addisceret.*

29. *Nota 2dò.* Sicut Filius DEI assumpsit pro hominibus redimendis naturam humanam, idest Corpus & Animam rationalem secum unita, ita assumpsit & proprietates ejusdem naturæ, tam Animæ, quàm corporis, atquè inter cætera, affectiones animi,

mi, tristitiam, gaudium, metum, iram, &c. quæ passiones Animi dicuntur, natura enim impatibilis, non idonea fuisset ad satisfaciendum pro peccatis nostris. Triplex tamen præcipuè discrimen fuit inter Christi & nostras Passiones, ut cum S. Thoma in 3. par. Quæst. 15. Articulô 4. docent Theologi. 1. Quia in nobis hujusmodi plerumquè passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. 2. Quia hujusmodi passiones, sæpè in nobis præveniunt Judicium rationis, frequenter obrepunt nec opinantibus, & adhærent etiam invitis: jam verò Christum illæ passiones corripere non poterant, nisi à recta ratione excitatæ & imperatæ, ut dicit etiam S. Augustinus lib. 14. de Civit. DEI Cap. 19. 3. Quia in nobis quandoquè hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit. Unde ob hoc triplex discrimen, Theologi docent, in Christo non fuisse passiones, sed propassiones: omnes enim affectus motusquè voluntatis æquè ac appetitus sensitivi in Christo oriebantur ex rationis dispositione, & libera voluntatis electione.

39. *Respondeo 2dò. Veræ tristitiæ Christi solet dari à Patribus & Theologis multiplex causa.* Inter quas & hæ. 1. Principalis causa tristitiæ in Christo fuit, viva apprehensio instantis Passionis & mortis. 2. Ut se verum hominem ostenderet. ut dicit S. Hieronymus, Beda, Theophylactus in Commentariis. 3. Ut Ejus membra, id est fideles, si quando tristarentur, non putarent id esse peccatum, ita docet S. Augustinus in Psalmum 87. ut vidimus suprà. 4. Ut cumulatè Christus pro peccatis nostris satisfaceret, quæ partim animô, partim corpore comittuntur: unde voluit non eos tantùm cruciatus ferre, qui propriè sunt corporis, sed etiam eos, qui propriè sunt animi, nempe timores ac mærores. 5. Tristatus fuit ex discipulorum commiseratione, quòd scandalum essent passuri: ut dicit etiam S. Hieronymus & Beda. S. verò Hilarius nominatim propter Judæ scelus ejusq; damnationem æternam, tristatum putat. *6ta causa tristitiæ fuit* (ut cum pluribus asserit Cornelius à Lapide) prævisio dolorum omniū, quos passuri erant Martyres in quibuslibet tormentis: Confesso- *Quanam causa tristitiæ?*

res, in persecutionibus, mortificationibus, morbis, calumniis; Virgines in tuenda castitate, Conjuges in educatione Filiorum, servorum, Ancillarum, paupertate, laboribus &c. Prælati & Pastores in gubernandis Fidelibus; Fideles quiquè in tentationibus Mundi, carnis, & dæmonis. Atquè hos omnes & singulos omnium & singulorum dolores, Christus mentaliter in se suscepit, pro eis dolens, gemens, & orans, ut singulis, suo dolore & gemitu, gratiam & robur ad cuncta sustinenda & superanda, à DEO Patre impetraret. Ipse enim Fideles suos, utì Filios, amat, quasi seipsum. Unde de illorum miseriis & afflictionibus dolet quasi de suis. Ut patet ex illis Verbis Christi Domini Matth. Cap. 25. *Esurivi enim & dedistis mihi manducare. Nudus eram & operuistis me: quod uni fecistis de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* *7ma causa.* Ut infirma membra sua consolaretur, ne timorem horroremquè mortis, peccatum esse crederent, voluit eum prior ipse pati. Ut pluribus locis notat S. Augustinus. *8va Causa fuit* ingratitudo hominum, prævidit enim non multis dolores & passionem suam profuturam.

31. *Quæritur 2dò. Quare nam Christus D. voluit Orationis suæ in horto & sangvinei sui sudoris testes potiùs habere Petrum & duos Filios Zebedæi* (id est Jacobum & Joannem. ut explicat S. Marcus Cap. 14.) *quàm alios Apostolos? Respondet* S. Hilarius, S. Chrysostomus, Theophylactus. Conveniebat (inquiunt) ut hi, sicut fuerant Christi gloriæ spectatores, & superni testimonii Auditores in monte Thabor. Matth. Cap. 17; nec non potentiæ Divinitatis in suscitanda Filia Archisynagogi, ut legitur Lucæ 8vo. & Marci 5. sic etiam in Horto Gethsemani essent spectatores imbecillitatis infirmæ Christi Humanitatis. Origenes verò ait: *Cæteros sedere jussit Apostolos ut infirmiores; illos autem ut firmiores voluit collaborare secum in vigiliis & Orationibus.* Alii autem cum P. Maldonato Respondent. Ideo hos tres potiùs, quàm alios assumptos esse: quia plùs illis confidebat, ideoquè ad omnia secreta solebat eos adhibere.

Nota, Duo fuerunt Apostoli, Jacobi nomine insigniti: unus

vocatur *Jacobus Major*. Cujus Festum colitur 25. Julii: de quo in Breviario legitur, quòd post JESU Christi Ascensionem in Cælum, in Judæa & Samaria, Ejus Divinitatem prædicans, plurimos ad Christianam fidem perduxerit: Moxquè in Hispaniam profectus, ibi aliquot ad Christum convertit: Deinde Jerosolymam reversus, ab Herode Agrippa interfectus est. Corpus ejus postea Compostellam translatum est, ubi Summâ celebritate colitur: Isquè S. Jacobus fuit cum Christo in Monte Thabor & in Horto Gethsemani, eratquè Frater S. Joannis Apostoli; vocatur *Major*. Tum quia priùs vocatus est à Christo ad Apostolatum, quàm alter Jacobus. Tum quia primus ex Apostolis, sanguinem fudit pro Christo, ut legitur Actorum Cap. 12. *Jacobi* verò *Minoris* festum colitur unà cum S. Philippo, 1. Maji: Fuit hic Frater Domini, & Primus Jerosolymorum Episcopus, ibiquè juxta Templum, ubi præcipitatus fuerat, sepultus. Ejus corpus nunc colitur Romæ in Ecclesia Sanctorum Apostolorum. Scripsit is Epistolam Canonicam, quæ de septem Catholicis est.

Jacobi majoris differentia à Minore.

32. *Quæritur 3tiò. Qualisnam Christi Domini Oratio ad DEUM Patrem fuit in Horto Gethsemani?*

Respondetur Verbis Evangelistarum. S. Matthæus Cap. 26. v. 39. ait. *Progressus* (id est, Christus D. à tribus nominatis Apostolis) *pusillum* (id est, ad non multos gressus, ita tamen ut posset ab eis audiri & videri:) *procidit in faciem suam, orans* (Christus enim quâ Homô, verè & propriè orabat DEUM Patrem, imò seipsum, quâ DEUS est) *et dicens: Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut Tu vis.* S. Marcus Cap. 14. v. 35. & 36. habet. *Cùm* (JESUS) *processisset paululum, procidit super terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora* (nempè Mortis & Passionis tempus, per Synecdochen, hoc est supplicium imminens) *Et dixit: Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod Tu.* (Nempè fiat) S. Lucas Cap. 22. v. 41. & 42 habet. *Et ipse avulsus est ab eis* (idest à Petro, Jacobô Majore & Joanne) *Et positîs genibûs orabat, dicens: Pater, si vis transfer calicem istum à me, verumtamen non mea voluntas, sed Tua fiat.*

Nota hìc imò. Oratio hæc Christi Domini expressa est ab Evangelistis, variis verbis, quæ tamen ferè in eundem sensum conveniunt: Et ut docet Euthymius cum pluribus: Probabile est, omnia per partes dicta esse: solemus enim in precationibus, unum & idem variô modô dicere. *Si possibile est.* est, *si vis*, ut exponit S. Augustinus Lib. 3. De Consensu Evangelistarum. cap. 4. ex S. Lucâ. Nomine *calicis* intelligitur hìc metaphoricè mors imminens, per figuram, quâ continens ponitur pro contento: estquè sumpta Metaphora ex antiqua consuetudine (ut notat cum pluribus P. Salmeron & P. Maldonatus) quâ solebat multis damnatis ad mortem, poculum venenô plenum porrigi, ut eâ ratione vitam finirent. Sic datum est, Socrati ab Atheniensibus, eò quòd tantummodo unum DEUM colendum esse diceret. Simile poculum porrectum est Photioni, Viro insigniter Justo, ut testatur Plutarchus in ejus vitâ, &c. &c.

33. *Nota 2dò.* Verba illa: *Transeat à me calix.* multifariè explicantur à Patribus: quin & à S. Catharina Senensi (ut in vita ejus, lib. 2. cap. 29. F. Raymundus, à Confessionibus ejus, testatur: Nec non & Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsensis in ejusdem Sanctæ vitâ Italica lib. 2. cap. 28. & 29. refert) Verborum dictorum duæ aliæ afferebantur singulares expositiones, easq; à DEO dicebat sibi esse revelatas. Has omnes explicationes vide apud P. Salmeronem, Tomô 10. Tractatu 12. Et apud P. Cornelium à Lapide in Caput 26. Matthæi. Origenes (qui floruit Annô Christi 220. Conscripsitquè ad sex millia librorum, teste S. Epiphanio) considerans prædictam orationem Christi, sat rectè dicit. *Secundùm quod cœpit Christus D. pavere & tristari, secundùm illud & orat, Calicem Passionis transire à se: sed non sicut vult, sed sicut vult Pater. Suscipiens enim naturam Carnis humanæ, omnes proprietates implevit, ut non in phantasia habuisse carnem existimaretur, sed in veritate.* Idem dicunt Communiter & alii Patres & Interpretes Sacræ Scripturæ, nec non Theologi: ex quibus P. Suarez Tomô 2dô in 3tiam partem. quæstione 46. Art. 8. Disp. 34. Sect. 2. *Illa* (inquit) *oratione declaravit Christus naturalem affectum volun-*

voluntatis suæ, quem permittere in se voluit, & exteriùs exprimere, ad confirmandam naturæ assumptæ veritatem, & tristitiæ suæ acerbitatem declarandam.

34. *Nota 3tiò.* Calvinus impius Hæresiarcha docet, quòd Christus D. in Horto Gethsemani orans, habuerit oblivionem, caliginem, inconstantiam, Divinæ voluntatis repugnantiam, à deoquè re ipsâ peccaverit. Commentando enim super verba illa Christi D. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* dicit. *Non fuit hæc meditata Christi Oratio, sed res & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Eadem vehementia, præsentem cœlestis Decreti memoriam illi abstulit: ut non reputaret in ipso momento, se hâc lege missum esse humani generis Redemptorem: Sicuti gravis anxietas, sæpe caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia. In Summa. nihil absurdi est, si in precibus non semper occurrit præsens omnium rerum attentio.* Non tantùm absurdum, sed absurdissimum est, Christum D. summâ Sapientiâ & Sanctitate semper præditum, fuisse in precibus suis aliquando destitutum perfectâ attentione. Idem Calvinus Libro 2. Instit: Cap. 16. summè erroneè docet, Animam Christi Domini, tempore passionis pertulisse supplicium damnati, ac perditi hominis, necnon Divinæ ultionis severitatem sensisse.

Calvini de tristitia Christi in horto & eius Oratione impius error.

35. *Quæritur 4tò. Christi D. orantis in horto sudor, fuitnè verè sangvineus?*

Respondeo Christus D. in Horto Gethsemani orans, verè & propriè sudavit sangvinem. Responsio hæc, est Communissima SS. Patrum & Theologorum, contra Euthymium & Theophylactum, qui duo cum aliquibus paucis asseruerunt, Christum D. nonnisi impropriè & hyperbolicè sudâsse sangvinem: Nempe in hoc sensu, quatenus sicut de eo, qui acerbissimè flet, dicitur, sangvinem flere: ita, qui præ nimia anxietate & interno labore nimiùm sudat, dicitur, sanguinem sudare. *Sed nostra Responsio Probatur.* Quia expressa verba scripturæ sacræ, præsertim historiam continentia, sunt in sensu proprio accipienda. Jam verò S. Lucas Cap. 22. v. 44 expresè dicit, *Et factus est sudor ejus*

Christus verum Sangvinem emisit orans in horto.

sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Vel ut habet textus Æthiopicus, *& factus est sudor ejus, sicut sudor sangvinis defluens in terram.*

Confirmatur Responsio Auctoritate SS. Patrum ita sentientium, ut Jrenæi, Epiphanii, Hilarii, Hieronymi, Augustini. S. item Athanasius Lib: 6. ad Theophilum, qui est de beatitudine Filii Dei: anathema dicit in eos, qui Christum negant verum sudâsse sanguinem.

36. *Neq; valet dicere cum Euthymio.* S. Lucas non dicit Christum sudâsse sanguinem, sed sudorem ejus fuisse sicut sanguinis guttas: id est, fuisse crassum & concretum sudorem, similem guttis sanguinis. *Contra enim bene urget P. Suarez.* Si voluisset S. Lucas solam similitudinem significare, potius dixisset *sicut guttæ aquæ.* Similiores enim videntur guttæ sudoris, guttis aquæ, quàm sangvinis. *Adde,* particulam illam *sicut*, non semper significare in scriptura similitudinem, sed interdum identitatem & veritatem: ut Joannis 1mô. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Deniq; si in hoc loco, per particulam illam *sicut*, importatur aliqua similitudo, quæ à veritate deficiat, non est in substantia sangvinis, quasi verum sanguinem non sudaverit Christus, sed in forma & figura guttarum, quia fortè non habebant perfectam figuram guttæ, sed illi similem: vel certè quia non erant ex puro sanguine, sed aliquid sudoris habebant admixtum.

37. *Nota.* Pars illorum verborum S. Lucæ de sanguineo sudore Christi Domini, defuit olim in aliquibus codicibus Græcis & Latinis, ut testatur S. Hilarius Lib: 10. de Trinitate. & S. Hieronymus Lib. 2. contra Pelag. Sed jam omnes codices Græci, Latini, Syriaci, Arabici, Persici, illam partem habent, debetq; esse, ut constat ex definitione Concilii Tridentini Sessione 4. Si in aliquibꝰ Codicibꝰ antiquis hæc pars deest, credēdū est (inquit P. Suarez cum pluribus) expunctam fuisse ab aliquibus indoctis, specie pietatis. Nam & S. Nicon in quadam Epistola, de Religione Armenorum. refert, eos abstulisse ex Evangelio hanc histo-

historiam de sudore sanguinis, imbecillitatis hoc esse existimantes, non Divinæ Majestatis.

38. *Quæritur 5tò. Fuitne speciale miraculum in eo, quòd Christus D. Sanguinem sudaverit?*

An emissio illa sudoris sãgvinei fuit miraculosa? Et quænam illius fuit Causa?

Respondent multi affirmativè: sed probabiliùs videtur, Respondendum esse negativè. Et ita sentiunt Cardinalis Cajetanus (Sacri Ordinis Prædicatorum Generalis, postea à Leone 10. assumptus ad Purpuram sacram, Vir summi ingenii) item Magnus Suarez Tomô 2. in 3. partem. Quæstione 46. Arti. 8 Disp. 34. Sect: 2. Cornelius à Lapide & plurimi alii. Responsionis negativæ afferri solet præcipuè duplex Ratio. *Prima.* Quia est sensus communissimus SS. Patrum ab universa Ecclesia receptus, quòd ille sudor sanguineus, fuerit signum certum & evidens magnæ in Christo tristitiæ internæ, anxietatis, & angoris. Ergo apparet non fuisse illum sanguinem emissum miraculosè; poterat enim miraculosè emitti cum minima, imò cum nulla afflictione. *2da Ratio est.* Quia docet Aristoteles Libro 3. de Histor. animal: cap. 19 Homines in vehementia angoris, posse aliquando naturaliter sudare sanguinem. Hoc autem præsertim fieri potest in iis, quibus corpus delicatum, porosum & rarum, & sanguis subtilis est, suntq; delicatissimæ constitutionis, qualis proculdubiò Christus D. fuit, utpote conceptus de Spiritu S. ex Purissima Virgine: *Adverte.* Sudorem nihil aliud esse, nisi serum, sive partem aquosam sangvinis: cum sero autem etiam subtilior sangvis ex ingenti anxietate, in porosis, facilè excernitur. Cajetanus sat probabiliter censet, Christum D: sudâsse sangvinem, eò, quòd jam exsudasset humorem, qui solet verti in sanguinem: sicut deficiente lacte, qui nimiùm ubera emungit, elicit sangvinem.

Nota. Ex Christi D. toto Corpore, scilicet ex ejus oculis, facie, pectore, manibus, pedibusq; sangvineus sudor profluebat; ut sic copiosissimè nos redimeret, & largissimè pro peccatis nostris satisfaceret, illi sudori, lacrymas cum suspiriis & precibus intensis, miscendo. Rectissimè Mellifluus Doctor S. Bernardus Sermone 3tiô. in Dominica Palmarum, agens de hac Oratione

Chriſti in Horto: *Non ſolîs* (inquit) *oculîs, ſed quaſi membrîs omnibûs fleviſſe videtur, ut totum Corpus ejus, quod eſt Eccleſia, totius lacrymîs Corporis purgaretur.* S. Auguſtinus in ſentent: 68. dicit, Cauſam fuiſſe hujus ſudoris, ut ſignificaret Chriſtus, de toto Corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, emanaturas Martyrum paſſiones. Venerabilis verò Beda aſſerit, ideo ſangvineum ſudorem illum defluxiſſe in terram, ut ſignificaretur, terrenos homines, ſanguine Chriſti eſſe irrigandos.

39. *Quæritur 6tò. Quâ ratione Angelus dicitur confortâſſe Chriſtum D.?*

Præmitto. S. Lucas Cap. 22. ſcribit: *Apparuit autem illi* (id-eſt Chriſto D.) *Angelus de Cœlo, confortans eum. Apparuit* inquam viſibilis in ſpecie & forma humana, ut ſua ſpecie & voce, oculos & aures Chriſti pavidas confortaret. *Apparuit.* Probabiliùs autem eſt, quòd Chriſto Domino non in prima & ſecunda oratione, ſed in tertia & ultima, dum *tertiò oravit eundem ſermonem.* Matth: 26. num: 44. apparuerit, eumq; tunc confortaverit, cùm nempè, ut ſubdit S. Lucas, Chriſtus factus in agonia, prolixiùs orans ſudavit ſanguinem. Hôc præmiſsô.

Reſpondeo. Verbîs Angelici Doctoris, S. Thomæ in 3. p. quæſt: 12. art. 4. *Dicendum quòd illa Confortatio Angeli, non fuit per modum inſtructionis, ſed ad demonſtrandam proprietatem humanæ Naturæ. Unde Beda dicit ſuper Lucam. In documento utriusq; naturæ & Angeli ei miniſtrâſſe, & eum confortâſſe dicuntur. Creator enim, Creaturæ ſuæ non eguit præſidiô: ſed homo factus, ſicut propter nos triſtis eſt, ita propter nos confortatur, ut ſcilicet in nobis fides Incarnationis ipſius confirmetur.*

Divus verò Chryſtomus Tomô 5tô, Homiliâ de Trinitate dicit. Per vocem hanc *confortare* non ſignificatur animare & ad fortiter agendum excitare: ſed potiùs fortitudinem Chriſti prædicare: ſicut nos dicimus magnificare DEUM, cùm Magnitudinem ejus prædicamus. S. Item Epiphanius Hæreſi 69. cenſet, ab Angelo confortatum Chriſtum, quaſi admirando fortitudinem ejus laudando & dicendo. *Tua eſt potentia Domine, Tua eſt fortitudo &c. &c.*

40.

40. *Quæritur 7mò. Quisnam Angelus ille fuerit, qui confortavit Christum?* Respondet Magnus Suarez. *Quis autem ille Angelus fuerit, incertum est, nihilq; invenio de ea re à SS. Patribus dictum.* P. verò Gabriel Vasquez (qui à Viris Magnis nominabatur *Sol Theologicus, Angelus vitâ & intellectu*, cujus labores Scholastici & in sacram Scripturam. labores, editi sunt Tomis 10. in folio) 1 p. Tomô 2. Disp; 244 n. 3. censet, Angelum hunc fuisse S. Gabrielem. Gabriel enim nomen habet à fortitudine: quia ipse habet officium confortandi homines infirmos, & afflictos; Confortavit verò Christum, non corroborando ejus infirmitatem, sed eximiam ejus fortitudinem collaudando. Idem cum P. Vasquez sentit P. Ludovicus de Ponte, Asceta celeberrimus: qui post obitum visus fuit Doctoris laureolâ ornatus propter pias, copiosas, solidasq; Lucubrationes suas. Alii cum Francisco Luca Brugensi, Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologo & Decano (qui Doctissimum edidit Commentarium in Evangelia, sæpeq; illum citare solet Cornelius à Lapide) opinantur, Angelum illum fuisse Michäëlem: is enim cùm sit summus Angelus, ideò videtur decuisse, ut summo Deo, Christo, hoc officium præstaret.

41. *Nota.* Locus in quo Christus, D. orans Sangvinem sudavit, & confortatus ab Angelo, ad radices montis Oliveti est positus, præclara postmodum desuper ibi erecta est Ecclesia à Christianis teste S. Hieronymo in Libro de Locis Hæbraicis. Addit V. Beda in Tractatu de Locis Sanctis Cap. 6. in fine. Petram ipsam, supra quam Dominus orans, flexis genibus innixus est, quasi mollem ceram cessisse, inseq; genuum ejus vestigia, recepisse, ipsumq; lapidem ut insigne tanti miraculi monumentum, intra Ecclesiam translatum, & parieti affixum esse. *Adiungit* Cardinalis Baronius in suis eruditissimis Annalibus ad Annum Christi 34. *Accepimus* (inquit ille) *ab his, qui hæc viderunt, etiam in imo vallis, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipsis, ejusdem Christi D. nostri vestigia pedum impressa, remansisse, hactenusq; servata esse.*

Memorabile de loco, in quo Christus oravit.

QUÆSTIO IV.

An? & quænam miracula facta sunt in Christi comprehensione?

Miraculum, quid?

42. PRæmitto. Miraculum verum, propriè tale, non est quivis admirandus effectus, nisi valde impropriè: ut dum dicuntur, septem fuisse miracula Mundi: sed propriè, & strictè miraculum, definitivè: *Est Effectus seu opus, superans omnes vires creatas, saltem spectatô modô, quô fit, ideoq; omnibus Creaturis est opus mirabile.* Miraculum enim dicitur, quasi admiratione plenum: quod scilicet habet causam simpliciter, & omnibus occultam: Hæc autem est DEUS, ut loquitur S. Thomas 1 p. quæst. 105 art: 7. Et Divus Augustinus Librô 26. contra Faustum Cap:3. ait. *Cùm Deus aliquid facit contra cognitum nobis cursum solitum Naturæ, Magnalia vel mirabilia appellantur.* Quare verum miraculum, debet esse opus mirabile omni intellectui potenti admirari, nempè creato: hic enim solus est admirativus: cùm non sit comprehensivus omnium causarum. Si enim sufficeret ad esse veri miraculi, quod sit mirabile alicui tantùm intellectui: tunc & Ecclipsis Solis, Lunæ, & similia deberent esse vera miracula. Miratur enim ea Rusticus, non tamen Philosophus. Hôc præmissô.

Respondeo. In Comprehensione Christi D. facta sunt vera miracula hæc.

Miracula quatuor in comprehensione Christi.

43 *Primum Miraculum.* Quòd (ut notat S. Chrisostomus & S. Cyrillus Alexandrinus in cap. 18 Joannis) Christus D. Divinâ virtute ita se militibus & Ministris Pontificum & Pharisæorum, ad se, præeunte Judâ venientibus ocultaverit, ut eum præsentem & alloquentem, adeoq; & facibûs, & lucernîs, & osculô Judæ demonstratum, non agnoverint, quamvis non igno-

tus,

tus, & facie, & loquelâ, esset pluribus eorum. S. enim Joannes Cap. 18. sic scribit. *JESUS sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit & dixit eis: Quem quæritis? responderunt Ei, JESUM Nazarenum* quærimus: & non responderunt *Te quærimus* sed responderunt *JESUM Nazarenum* quærimus, quasi non cognitum, & non visum. Percussit enim eos Dominus cæcitate, quali olim Sodomitas Gen. Cap: 19. v. 11. Ita ut videntes alia, ipsum Dominum non viderent. *Vides* (inquit S. Chrysostomus) *vim insuperabilem, quomodo in medio eorum existens, eos excæcavit.* Et S. Cyrillus. *Potestas* (inquit) *Divina Christi enituit, qui quamvis se quærentibus offerret, minimè tamen cognoscebatur.* Imò prædicti Sancti Patres, necnon Theophylactus in Cap: 18. Joannis, Leontius item & Theodoretus in Catena Græcorum, sentiunt, nec ab ipsomet Juda tunc Christum agnitum fuisse.

44. *2dum Miraculum.* Quia ut legitur Joan: 18. *Dicit eis Jesus. Ego sum, stabat autem & Judas qui tradebat eum cum ipsis, ut ergo dixit eis. Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Unicô verbô. *Ego sum*, tantam multitudinem satellitum prostravit. ut in terram resupini in dorsum caderent. *Ubi nunc Militum cohors?* (rectè exclamat S. Augustinus Tractatu 112. in illum locum Ioan;) *ubi terror & munimen armorum? una vox turbam odiîs ferocem, armîs terribilem, sine telo ullo percussit, repulit, stravit. Deus enim latebat in carne: quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit?* Imò eos ita prostravit, ut simul illos privaverit virtute sentiente & movente, ut se erigere, sustinere, & regere non valerent, sicut fit in Paralyticis. Audi S. Leonem Papam sermone 1mô de Passione. *Ego sum* (inquit) *quod Verbum illam manum, ita ex ferocissimis congregatam, quasi quôdam fulmineô ictu stravit, atq; perculit, ut omnes illi atroces, minaces, atq; terribiles, retroàcti corruerint. Ubi fuit sævitiæ conspiratio? ubi ardor irarum? ubi instructus armorum? Dominus dicit. Ego sum: & ad vocem ejus, turba prosternitnr impiorum: quid jam poterit Majestas Ejus judicatura, cujus, hoc potuit, humilitas judicanda?* Cur verò potius factum est, ut retrorsum caderent, non in faciem

vel aliô modô, propria & literalis ratio, eſſe videtur (ut dicit Magnus Suarez) quia major potentia, & efficacia Verbi Chriſti reluxit, in eo dejectionis modo. Porrò ſenſus eſt communiſſimus Interpretum Sacræ Scripturæ, ſimul tunc Judam proditorem, qui ſtabat ſimul cum ſatellitibus, proſtratum eſſe in terram. S. Hieronymus Epiſtolâ 140. ad Principiam ſentit, Chriſtum cœleſti quôdam vultûs ſplendore, ſatellites illos perculiſſe, & proſtrâſſe *Niſi* (inquit) *habuiſſet in vultu, oculisq; quidquam ſidereum, nunquàm Eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec qui ad comprehendendum Eum venerant, corruiſſent.* Tantô verò tempore proſtrati jacuêre in terra, quantô opus erat, ut ejus quem comprehendendum quærebant, potentiam valerent cognoſcere: poſteà verò eâdem Chriſti virtute permiſſi ſunt ſurgere.

45. *3tium Miraculum Chriſti*, fuit, quòd poſtquam Chriſtus Dominus permiſit proſtratos ſurgere, *Iterum interrogavit eos* (ut legitur Joannis cap. 18.) *Quem quæritis? illi autem dixerunt. JESUM Nazarenum. Reſpondit JESUS. dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Tanta fuit horum verborum *ſinite hos abire*, efficacia, ut Judæi neminem Apoſtolorum comprehenderint, ne quidem etiam Petrum, qui Malchum, ſervum Principis Sacerdotum, vulneraverat. Meritò id inter miracula computat S. Auguſtinus Tractatu 112. in Joannem. S. etiam Chryſoſtomus Homiliâ 82. ait: *Quis continuit Judæos, ne Diſcipulos comprehenderent? Nemo alius, quàm qui eos retrorſum projecerat potentiâ.*

Quis fuit Adoleſcens ille, qui fugit relictâ Sindone?

Qodſi objiciatur, Utiq; apud S. Marcum cap. 14. legitur. *Tunc Diſcipuli relinquentes Eum, omnes fugerunt; adoleſcens autem quidam, ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum, at ille relicta ſindone, nudus profugit ab eis:* Quem Adoleſcentem S. Epiphanius hæreſi 78. & Hieronymus in Pſalmum 37. putant fuiſſe Jacobum fratrem Domini. S. verò Chryſoſtomus in Pſalmum 13. ac S. Ambroſius in Pſalmum 36. & S. Gregorius 14. Moral: cap: 23. S. Beda & Gloſſa, in caput 14. Marci. item Cardinalis Baronius, cenſent fuiſſe S. Joannem Evangeliſtam. Verùm proba-

probabilius est (ut sentit Theophylactus, Euthymius, & Victor, item Cajetanus Cardinalis, Suarez Tomô 2. in 3. p. Q. 46. Art: 8. Disp: 34. Sect 3. Cornelius à Lapide, & alii plurimi,) Adolescentem illum, non fuisse Joannem nec Jacobum, nec ullum ex Apostolis. Ratio est. Tum quia, cùm Christi Domini verbum fuerit efficax: Non potuerunt Judæorum ministri in aliquem Apostolorum manus injicere. Tum quia incredibile est, (ut arguit Suarez) aliquem Apostolorum tunc fuisse nudum, & sola sindone còópertum. Item S. Jacobus tunc ætatis annum sexagesimum exegerat. Joannes verò trigesimum, proindè nullus eorum Adolescens.

46. *4tum Miràculum fuit*, quòd Christus Dominus subitò restituerit auriculam dextram Malcho, quam ei Petrus absciderat; ut habet S. Lucas cap. 22.

Ad meliorem dictorum intelligentiam, & notitiam factæ comprehensionis CHRISTI.

Nota 1mò: Postquam Christus dixit Apostolis Matt: cap. 26. *Surgite, eamus. Ecce appropinquavit, qui me tradet.* Statim. *Adhuc ipso loquente, eccè Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus missi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi.* Clariùs id explicat S. Joannes cap. 18. dicens. *Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum* (nempe hortum Gethsemani) *quia frequenter JESUS convenerat illuc cum discipulis suis. Judas ergo cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros; venit illuc cum laternis & facibus, & armis.* Judæ laternam, altitudine sesquipalmari ex crystallinis globulis circiter vicenis distinctam, ostendunt Cimeliarchæ Regiæ Abbatiæ S. Dionysii propè Lutetiam Parisiorum. *Figmenti tamen plusquàm suspicionem* (ut cætera premam, ait P. Raynaudus, cap. 11. in Libro suo de Juda:) *faciunt orbiculi crystallini, quod abhorret à vero, hominis eâ sorte laternam exornâsse.*

47. *Nota 2dò.* Certùm est quòd Judas duxerit turbam illam ministrorum ad comprehendendum Christum. Expressè enim S. Petrus Actorum cap. 1. vocat Judam *ducem eorum, qui*

comprehendebant *JESUM.* & S. Lucas cap. 22. ait *Ecce turba, & qui vocabatur Judas, antecedebat eos.* Quia verò turba illa conflata erat ex cohorte militum Romanorum & famulis ac servis Pontificum & Pharisæorum, ut patet ex S. Joannis cap. 18. suprà citato, sequitur, turbam illam ex multis centenis hominum fuisse conflatam: nam ipsamet & sola cohors, est caterva constans trecentis viris militibus, secundùm Rupertum Lib. 13. in Joannem: secundùm alios, quingentis vel ut pleriq; volunt, mille ducentis quinquaginta. Cornelius à Lapide in Matth. cap. 26. ait: *Cohors continebat mille milites.* Insuper erant plurimi famuli & servi Pontificum: imò sat multi graves scriptores, inter quos Euthymius in Matthæum Capite 64. Pater Alphonsus Salmeron Tomô 10. Tractatu 17. censent fuisse etiam insimul tunc in illa turba, quosdam summos Sacerdotes, & Magistratus Templi, & Seniores: siquidem apud S. Lucam cap. 22. versu 52. legitur. *Dixit JESUS ad eos, qui venerant ad se, Principes Sacerdotum, & Magistratus templi, & Seniores: quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus,* hujus ergo totius turbæ fuit (ò nefandum scelus!) Dux, Judas discipulus Christi & Apostolus. Ne videretur autem esse proditor, aliquot passibus, turbas quas duxerat ad comprehendendum Cristum (ut notat S. Laurentius Justinianus Lib. de triumphali agone Christi. cap. 2.) antecessit: ut ipse videretur non esse ex eis, sed quasi aliundè redire, & fortuitò cum adventu turbarum concurrere: unde quasi peregrinè rediens, de more Discipulorum Christi in novo adventu ex via, osculatus est Christum dicens: *Ave Rabbi.* volens osculô & verbô, scelus dissimulare. Christus bene gnarus quô animô venerit, interrogat eum, *Amice ad quid venisti?* Addens: *Juda Osculô Filium hominis tradis?* Postea retrocessit Judas, ad turbas & milites à se adductos, & cum illis stetit. Mox JESUS liberè & intrepidè illos interrogat. *Quem quæritis?* respondentibus. *JESUM Nazarenum:* dixit Christus. *Ego sum.* quô dictô; Judas cum asseclis & militibus prostratus est. Vide suprà numerô 44.

Cohors quotnam militibq constat?

48. *Nota 3tiò.* Si quæratur 1mò. Quare Judas dedit signum

Judas cur e-

gnum, dicens: *Quemcunq; osculatus fuero, ipse est tenete eum.* Quid signô opus, utiq; Christus fuit omnibus in Judæa notus? 2dò. *Cur hoc potiùs signo, quàm alio usus est?* 3tiò: *An etiam Christus Dominus dederit osculum Judæ?* *Respondet ad unum quæsitum* S. Hieronymus in caput 26. Matt. & ante ipsum Origenes. Quia verebatur Judas, ne Christus D. aliqua sui transfiguratione elaberetur è manibus militum. *Venit* (inquit Origenes, Tractatu 26. in Matt:) *traditio talis de Christo, quoniam non solùm duæ formæ in eo fuerunt (una quidem secundùm quam Eum omnes videbant; altera autem, secundùm quam transfiguratus est coram discipulis suis in monte, quando & resplenduit facies ejus tanquam sol:) sed etiam unicuiq; apparuit, secundùm quod fuerat dignus: & cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur: secundùm quod de Manna est scriptum, quando DEUS filiis Israel panem misit de Cœlo, omnem delectationem habentem, & ad omnem gustum convenientem, quando desiderio offerentis obsequens, ad quod quis voluerat, vertebatur. Et non mihi videtur incredibilis tradito hæc.* Hucusq; Origenes. Confirmari potest (inquit Pater Raynaudus) ex panno Duaceno, de quo Thomas Cantipratensis (Episcopus Suffraganeus Episcopi Cameracensis, condiscipulus S. Thomæ Aquinatis, Lib. 2. de proprietatibus Apum. cap. 4tô.) scribit, quòd in eo panno, tempore eôdem Christus pro varia contuentium dispositione, varius appareat. Simile quid de Crystallo Lusitana, refert Castro, Lib. 3tiô de Vatic: cap: 3tiô. Verùm probabilior est Responsio Theophylacti & plurimorum aliorum; id factum esse ideo, ne milites Romani, qui nunquam viderant, vel certè non noverant Christum, juvante errorem, noctis caligine, ne inquam in aliquem alienum facerent impetum, & sic ille elabi posset, de quo pactus erat Judas. Dico. *Est probabilior hæc Responsio, quàm prima.* Quia (ut bene notat Raynaudus & Cornelius à Lapide aliiq; passim Commentatores) aliàs etiam Judas ipse, meritò timere potuisset, ne Christus mutando faciem, se quoq; falleret, ut Eum agnoscere non posset: aut certè se occultaret, & faceret se invisibilem, sicut sciebat Eum aliàs fecisse. Non pauci item Re-

Cur osculô Christum tradidit?

ſpondent, Judam timuiſſe, militum errorem, ex ſimilitudine Iacobi minoris, quem etiam ideo Fratrem Domini dictum aliqui opinantur, quòd facie Chriſtum referret. *Ad 2dum Quæſitum Reſpondetur.* Ideo Judam, uſum fuiſſe oſculi potiùs ſignô quàm alio, Quia (ut ait Pater Maldonatus cum pluribus) ita ſignum dare volebat, ut, quali ratione, militibus Chriſtum prodebat, eâdem Chriſtum, proditionem ſuam celaret: non celâſſet autem, ſi inuſitatum dediſſet ſignum, erat autem uſitatum, ut oſculô ſe Judæi præſertim inferiores, ſuperiores ſalutarent, & quicunq; magnum erga eos, quos ſalutabant amorem oſtendere volebant, ut patet ex Geneſis Librô Capite 29. & 33 & 45tô & Exodi cap. 4tô, 18vô; quod & inter Chriſtianos uſitatum fuit; ut conſtat ex Actorum cap.20. & ex Epiſtola S. Pauli ad Romanos cap.16. & 1. ad Corinth. cap.16. v.20. legitur. *Salutāt vos omnes fratres. Salutate invicē in oſculo Sācto.* Quod idē legitur in prima Epiſtola S. Petri, cap.5tô. v. 14tô. Et veriſimile eſt (inquit Cornelius à Lapide) hôc oſculi ſymbolô, Apoſtolos ſalutâſſe Chriſtum, cùm aliunde ad ipſum redirent: Quocirca exemplô Chriſti, primi Chriſtiani etiam poſt tempora Apoſtolorum ſalutabant ſe invicem oſculô ſanctô, & caſtô; ut docet Tertullianus Lib. de Oratione. Sed impius Judas hoc Symbolo amicitiæ, ad perfidiam & proditionem ſuam ſceleſtiſſimè abuſus eſt. Et *cui lethales* (ut ait Victor Antiochenus in Marci caput 14tum v. 45tô) *inſidias ſtruebat, illi infelix ſalutem cum oſculo offerebat.* Oſculi hujus à Juda præſtiti atrocitatem, tantoperè deteſtata eſt olim Eccleſia Chriſtiana, ut cùm fideles præſtito ſacrificii tempore, & alibi quoq; ſalutare invicem in oſculo ſancto ſe conſveviſſent, per illud tamen tempus, quô Domini Paſſio recolebatur, oſculô abſtinerent, ut annotârunt Berno Abbas Augienſis (qui floruit Annô Chriſti 1014) In Libro de rebus ad Miſſam ſpectantibus, cap. 7mô, nec non Hugo Victorinus, Tomô 3tiô lib: 3tio de Cerimoniis, Sacramentis, & officiis Eccleſiaſticis capite 18vô. *Ad 3tium Quæſitum. An etiam Chriſtus Dominus* tunc *dederit oſculum Judæ?* Reſpondet Cornelius à Lapide, in caput 26. Matt: vers. 49 [Chriſtus oſculantem Judam

non

non respuit, nec osculum renuit, sed fraudulentum hostileq; "
offerenti, sincerum amicumq; reddidit] Idem asserunt nonnulli alii. Econtra, Franciscus, Lucas Brugensis Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologus & Decanus (quem sæpè citat & laudat in libris suis Cornelius à Lapide) is inquam in suo doctissimo Commentario in Evangelia in caput itidem 26. Matt. uers. 49. ait. [Non JESUS osculatus est proditorem, ne facinus de- "
testandum probare uideretur, sed proditor JESUM. Permi- "
sit autem JESUS osculum sibi ab illo porrigi, nec avertit ab "
eo faciem ob duplicem causam à Divo Ambrosio allatam. in "
Lucæ caput 22. 1. *Ne proditionem refugere videretur.* 2. *Ut plus* "
afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret. 3tiam cau- "
sam dat S. Hilarius, Canone 32. in Matt. scilicet. *Ut doceremur,* "
inimicos, eosq; quos sciremus desævituros in nos esse, diligere, oscu- "
lum ejus Dominus non respuit.] Hæc suprà citatus Franciscus Theologus. Eadem verba S. Ambrosii & Hilarii adducit Cornelius à Lapide pro sua opinione. Ego suspendo meum judicium hoc in passu, cùm nihil ex Scriptura Sacra vel ex Patribus habeatur, per quod plenè satisfiat responsioni.

49. *Nota 4tò.* Malchum (qui summi Sacerdotis Caiphæ, Minister fuerat) probabilè est, audaciorem cæteris fuisse, & Heri Christo Domino infensissimi Auctoritate confisum, aliis præivisse, voluisseq; primùm manus injicere in JESUM, ideoq; gladiô percussum à Petro: voluit quidem S. Petrus medium caput ejus gladiô dividendo, eum interficere (ut annotat S. Chrysostomus in Joannem.) Sed Malcho ictum declinante, caputq; in sinistram obvertente, auricula tantùm ejus amputata est. Paulus à Palatio, Commentator accuratus in Evangelia, Cornelius item à Lapide & nonnulli allii opinantur, Malchum, quia aure sibi à Christo reddita, ejus in se bonitatem æquè ac potentiam tam evidenter expertus erat, ad fidē Christi postea esse conversum: cùm & Theologicum sit Dogma. *Quem Dominus sanat, perfectè sanat.* Unde videtur, quòd Christus Malchum non solùm aure, sed & mente sanaverit. An Petrus defendendo Christum, Mal-

Petrus feriendo Malchum, an peccavit?

chumq; feriendo, peccaverit, non levis est controversia inter Patres & Theologos. Pro parte hac, quòd peccaverit, sunt rationes hæ. 1. quia S. Augustinus Lib. 22. contra Faustum, capite 79. censet Petrum non bene usum fuisse gladiô; *Quia Dominus* (inquit) *jusserat, ut discipuli ejus ferrum ferrent, sed non jusserat, ut ferirent.* 2. Quòd Petrus hoc suo factotunc exposuit se evidenti periculo mortis sinè justa causa; nec non dedit occasionem Judæis, ut acriùs in Christum sævirent, haberentq; justam aliquam vel apparentem occasionem accusandi Christum. Pro opposita verò parte sunt Rationes hæ. 1. Quia S. Ambrosius in caput Lucæ 22. Factum hoc Petri comparat cum facto Phinees. *Petrus* (inquit) *eruditus in Lege, promptus affectu, qui sciret Phinees reputatum ad justitiam* (ut legitur Numerorum 25.) *quòd sacrilegos peremisset, percussit Principis servum.* 2. Quia Chrysostomus Hom. 85. in Matt. dicit, id fecisse Patrum ex pio ac ferventi amore; nec non S. Ambrosius Lib. 11. in Joannem. cap. 35. idem innuere videtur. Pater Suarez eximius Doctor, Tomô 2dô in 3tiam partem. Disp. 34. Sect. 3. respondet. Factum Patri secundùm se spectatum non vacare quidem culpâ, ob rationes superiùs allatas. Non caret tamen magna probabilitate, dicere, Petrum tanto amore & fervore motum esse, ut nihil peccaverit, non considerando omnia, quæ in illo negotio consideranda erant. Responsionem hanc approbo.

Christus Dominus quandonam comprehensus?

50. *Nota 5tò.* Comprehensio Chricti Domini est facta non ante, sed post amputationem & sanationem auris Malchi. Ratio hujus sat valida à Patre Salmerone & aliis affertur 3plex hæc. 1. Quia non est verisimile, Christô jam ligatô & comprehensô, Petrum percussisse; tunc enim Petrus cum aliis aufugit. 2. Quia Christus ligatus manibûs, non potuisset iisdem manibûs, aurem capiti Malchi applicare & restituere. Cùm tamen apud S. Lucam cap. 22. legatur. *Cùm tetigisset* (Christus) *auriculam ejus* (id est Malchi) *sanavit eum.* 3. Quia quomodo jam ligatus, reprehendisset comprehensores, dixissetq;. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* siquidem hoc verbo, juxta omnes Patres mo-

do

do primùm tribuit potestatem se capiendi. *Accedit.* Quia S. Lucas & S. Joannes priùs tradunt percussionem Petri & sanationem Malchi, nec non reprehensionem Petri & turbæ venientis ad capiendum ac deinde Christum fuisse comprehensum narrant. Videnturq; hi duo Evangelistæ, ordinem Historiæ secuti, ut constat ex rationibus allatis. Neq; dicas. Utiq; S. Matthæus cap. 26. v. 50. statim post osculum Judæ acceptum, dicit. *Tunc accesserunt & manus injecerunt in JESUM & tenuerunt eum.* Respondetur enim, dictum hoc esse per figuram anticipationis.

51. *Nota 6tò.* Christus Dominus comprehensus est horâ unâ aut semiduabus ante mediam noctem, ut rectè Pater Raynaudus cum aliis deducit ex eo. Quia Christus sub noctem, quâ horâ comedendum erat Pascha, hoc est in crepusculo vespertino, quod est inter noctem & solis occasum, discubuit, & peractâ cænâ legalî, pedes discipulorum lavit, cænamq; usualem adorsus est: super quam instituit Eucharistiam & Discipulos instituit Sacerdotes: postea cænam prorogavit aliquamdiu, mandatîs deinde in illo sermone *mirabiliter stupendo, maximeq; diuturno.* ut S. Augustinus loquitur Lib. 4. de Consens: Evangel. cap. 10. ad undecim Apostolos residuos datîs, ac Hymnô dictô (quæ omnia ternas scilicet) horas tenuerunt, perrexit in montem Oliveti, in villam Gethsemani: ibi prolixiùs oravit, teste S. Luca. Orationem enim tertio repetiit. Cùm verò nondum gallus cantâsset, cùm Christus in domum Annæ pervenit, videtur sat clarè inde colligi, horam solùm unam vel semiduas superfuisse à tempore quô Christus comprehensus est, ad mediam usq; noctem.

52. *Nota ultimò.* Postquam Christus dedit potestatem se capiendi, exnunc cum clamore & furore ingenti, contumeliosisq; verbis prolatis injecerunt in JESUM manus, non duo vel tres, sed Cohors cum Tribuno & famulis Judæorum, doctrinâ Christi reprehendentis eos, provocati, irritati prostratione, quâ ceciderant retrorsum, & præsentiâ Principum Sacerdotum excitati (ut notat P. Salmeron cum aliis) in eorum gratiam, & eorum oculos satiare cupientes, primi quiq; eum aggredi & ligare contendebant

debant: fuitq; gravissima hæc injuria Christo illata; tantaq; percussio, ut Apostoli, visoChristô captô, ac sic tractatô, aufugerint. Deinde (ut multùm probabile est, & piissimi plurimi Meditatores asserunt) Christum Dominum prostratum, pedibus conculcârunt, & pugnîs crebrîs percusserunt, catenâq; ferreâ collum ejus alligaverunt; manus à tergo revinxerunt, funeq; crassiori medium ejus corpus circumligârunt; timebant enim ne elaberetur, sicq; magna hostium exultatione in vinculis ductus est inter summa opprobria, & ingentia verbera ad Annam Christus D.

QUÆSTIO V.

Postquam comprehensus est Christus Dominus, quònam ductus & quænam passus antequam traderetur Pilato?

53. *RESpondeo 1. Christus Dominus primùm ductus est ad Annam.*

Christus cur ad Annam primùm est ductus?

Probatur. Quia expresse legitur apud S. Joannem cap. 18. v. 13. *Cohors autem & Tribunus & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & deduxerunt Eum ad Annam primùm* (idest priùs quàm ad Caipham) *erat autem Socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illiùs.* Legitur quidem apud Clementem lib. 5. Constitutionum Apostolicarum cap. 16. primùm ductum esse ad Caipham, deinde ad Annam. sed hoc ut apocryphum rejiciendum est

Porro, priùs deductus est ad Annam, inter alia, propter rationes etiam has. 1. Quia (ut ait Euthymius in cap. 18. Joan:) *Annas à Caipha, ejus anni Pontifice, quasi Pater honorabatur propter affinitatem* (duxerat enim Caiphas filiam ejus in uxorem) nec non ex Annæ consilio Caiphas populum regebat. 2. Quia

Domus

Domus Annæ prior quàm Caiphæ erat in via, euntibus ad Caipham. Rationes has duas expressit & S. Augustinus Tractatu 113. in Joan. inquiens. *Secundùm Matthæum cùm comprehensus esset Jesus, ad Caipham ductus est, sed priùs ad Annam, secundùm Joannem venerunt cum illo, non quia collega, sed quia Socer ejus erat. Et credendum est, secundùm voluntatem Caiphæ, id esse factum: vel etiam domus eorum ita fuisse positas, ut non deberet Annas à transeuntibus præteriri.* Utriusq; verò domus in Monte Sion, id est in Superiori Civitate Jerusalem, sita fuit: distabat domus Annæ ab horto Gethsemani, in quo captus fuerat Christus, gressibûs, sive passibûs minoribûs, ferè 1500. domus verò Caiphæ à domo Annæ, gressibus 330. ut refert Adrichomius in discriptione Jerusalem. num: 118. *3tiò Ratio* ducendi Christum ad Annam fuit. Quia is præ cæteris videtur optâsse & procurâsse, ut Jesus caperetur, promiseratq; Judæ proditori 30. Argenteos, quos, ut quàm primùm reciperet Judas, curavit is impensè, Jesum adduci primùm ad Annam, tuncq; ab Anna accepit illos 30. argenteos: ut præter multos Sacræ Scripturæ Interpretes, censet S. Cyrillus scribens in illum locum suprà citatum S. Joannis: simul etiam tunc militibus comprehensoribus Christi, datam esse mercedem, probabilissimè opinantur nonnulli.

54. *Respondeo 2dò. ab Anna ductus est Christus D. ad Caipham. Ratio est.* Quia ad Caipham fuisse ductum, testantur tres Evangelistæ. S. Matthæus cap. 26. v. 57. S. Lucas cap. 22. v. 54. S. Marcus cap. 14. v. 53. idq; innuit & S. Joannes cap. 18. v. 19. dicens. *Pontifex ergo interrogavit Eum.* Pontifex verò illius Anni erat Caiphas, non Annas. ut patet ex ipso S. Joanne cap. 18. v. 13. Josephus item Hebræus (qui florebat sub Vespasiano, cui prædixit Imperium, cùm ab eo captivus duceretur) lib. 18. Antiquitatum. cap. 5to. testatur, Caipham creatum Pontificem summum à Valerio Grato, Judæorum præside Romano, qui Pontium Pilatum proximè antecessit, ac perseverasse toto tempore Pilati usq; ad finem Tiberii Cæsaris: Annas verò fuit (non tamen immediatè) ante Caipham summus Pontifex, summæq; auctoritatis apud Judæos,

dæos, & post se quinque filios Pontifices habuit. ut scribit idem Josephus lib. 20. Antiquitatum. capit. 8.

Quàm atrociа Christus passus est priusquam traditus Pilato?

55. *Respondeo 3tiò. Christus D. priusquam adduceretur ad Pilatum, inter alia innumera, passus est etiam hæc.*

Imò. *Unus assistens ministrorum dedit alapam JESU.* ut legitur Joan. cap. 18. v. 22. Meritò exclamat S. Chrysostomus super citata verba. *Quid hôc impudentius? exhorescat cælum, contremiscat terra de Christi patientia & servorum impudentia.* *Universam creaturam perhorruisse puto* (inquit S. Cyrillus Alexandrinus) *si sensum hujus rei haberet, Dominus enim gloriæ, impia manu hominis cædebatur.* Et Divus Ephrem Sermone de Passione D. ait. *Eheu! Creator qui de pulvere terræ, hominem finxerat per gratiam, à manibus, quas ipse formaverat, alapam accepit.* Alapam hanc, plurimi cum Ludovico Granatensi, Cornelio à Lapide asserunt; manu quæ ferreâ chirothecâ armata erat, incussam fuisse, & ideo signum talis alapæ in facie remansisse: quod comprobari solet ex vestigio cicatricis in Veronicæ imagine, quæ Romæ in Basilica S. Petri magna religione asservatur, & in hebdomada passionis, populo ostenditur. Tanta item vi alapa incussa fuit, ut faciem Christi ad Judicem conversam, in alteram inflexerit partem, & (ut dicit S. Vincentius) in terram Dominum prostraverit.

2dò passus est, quòd *qui tenebant* Jesum vinctum (ut ait S. Lucas cap. 25. v. 62.) nec non alii ministri & spectatores quidam etiam ipsorum Principum Judæorum, (ut sat clarè intelligitur ex S. Marco cap. 14. v. 65.) *exspuerunt in faciem Ejus & colaphîs eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem Ejus dederunt.* Matth: cap. 26. v. 67. Exspuerunt inquam sua sputa & phlegmata fœdissima, putrida ac horrenda in faciem Ejus, de quo dicitur Psalmô 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum.* & Psalmô 76. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Et *in quem Angeli desiderant prospicere.* Ut scribit S. Petrus epist. 1. cap. 1. *Horreto cælum & terra* (ut rectè exclamat Euthymius) *universaq; creatura, in quam faciem! quam intulerunt injuriam!* Sputa & atra phlegmata ex visceribus hesternam crapulam ructantibus attraxerunt scelestissimi nebulones,

iisq;

iisq; conspurcârunt Sanctissimam faciem Christi, cujus *tanta pulchritudo erat, ut quicunq; Eum inspiceret, consolaretur à dolore cordis, quem habebat: ideo & multi Judæi dicebant: Eamus ad videndum Filium Mariæ, ut consolari possimus.* sicut Sacratissima Deipara, Divæ Brigittæ revelavit. lib. 6. cap. 1. Eadem Beatissima Virgo dicebat S. Brigittæ. ut habetur lib. 4. Revelat: cap: 70. *Qualis erat Filius meus in Mundo, cognosce. Ipse tam pulcher facie erat, quòd nemo videbat Eum facie, qui non consolaretur aspectu ejus, etiamsi præcordialiter dolorem haberet. Justi verò, spirituali consolatione consolabantur, sed & mali, à tristitia sæculi, tanto tempore, quo Eum videbant, relevabantur: unde & dolentes dicere consveverunt: eamus & Filium Mariæ videamus, & saltem tanto tempore relevemur.*

Colaphîs Eum cæciderunt. Id est pugnô, seu contracta & clausa manu, faciem, caput, collum, dorsum, aliasq; corporis ejus partes, acriter verberârunt.

Alii palmas in faciem ejus dederunt. In Græco textu unica est dictio, Errapisan: quam quidam vertunt, *fustibûs* aut *baccellîs Eum cæciderunt.* quidam *crepidîs verberarûnt:* & est verisimilè (inquit Doctissimus Commentator Pater Maldonatus) Judæos, contumeliæ causa, crepidîs faciem Christi cæcidisse.

56. Hæc contenta in Responsione hac tertia, sunt longè antè prædicta. Jsaias enim Propheta ex Persona Christi D: cap. 50. dicit, *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus.* S. Hieronymus locum hunc Jsaiæ vertit. *Dedi maxillam meam alapis, & faciem meam non averti à confusione sputorum.* Et Sibylla Delphica, cujus carmina exstant lib. 1. sibyllinorum Oraculorum. Sic canit,

Tunc impius illi
Impinget colaphos, virosaq; sputa scelestis
Jsraël labiis.

Et Sibylla Erythrea, apud Lactantium lib. 4. cap. 18. ait. *In manus iniquas & infidelium veniet, & dabunt DEO alapas manibûs incestîs, & oribûs immundîs exspuent in Eum salivas venenosas.*

3tiò. Paſſus eſt Chriſtus D. quòd *Velaverunt Eum & percutiebant faciem Ejus, & interrogaverunt Eum, dicentes: prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit? Et alia multa blaſphemantes dicebant in Eum.* Lucæ 22. v. 62. & ſequen.

Prophetiza. Ac ſi dicerent: Prophetam Te eſſe jactaſti, & Chriſtum, DEI Filium; proinde ſcientiam occultorum omnium habentem: obvelatîs ergo oculîs, dic nobis, quis noſtrûm primus, quis ſecundus, quis tertius? & ita ex ordine viciſſim, alapam Tibi impegit? quis colaphum? certatim enim verberabant alii poſt alios. Nam,ut ait S. Chryſoſtomus *ſicut Chriſtus D. nihil lenitatis prætermiſit, ſic illi nil contumeliæ, nihil impietatis: ſed tam verbîs, quàm factîs explere furorem ſuum conati ſunt:* Eheu! ſic Prophetarum Dominus, quaſi pſeudopropheta, imò ut ſcurra, illuditur. Velaverunt faciem Chriſti etiam ideo, ut (ſicut notat Janſenius, Gandavenſis Epiſcopus doctiſſimus) liberiùs Eum verberarent, & vexarent, ne Divino vultu Ejus & oculis abſterrerentur & coërcerentur. Majeſtas enim Chriſti radiabat in vultu. ait S. Hieronymus.

Et alia multa blaſphemantes dicebant in Eum. non expreſſit S. Evangeliſta, quænam eſſent blaſphemiæ & contumeliæ: quia multùm probabile eſt, & numerô fuiſſe multas, & gravitate atroces, & valde enormes. Ut vel hinc colligas, (ut notavit Euthymius) Evangeliſtas, omni fide & acceptione dignos exiſtere, qui, ut veritatem ſervent hiſtoriæ, tam tetra & vilia tormenta de ſuo Magiſtro conſcribere & evulgare non erubuerunt.

57. *4tò.* Paſſus eſt Chriſtus, quòd Ei vulſerint genas, barbam expilârint: de hac quidem Chriſti probroſa vellicatione & acerba depilatione nihil habent Evangeliſtæ. ſed id Eum paſſum eſſe, conſtat ex verbis Evangeliſtæ veteris, nempe Jſaiæ cap. 20. v 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Et Divus Bernardus, Tractatu de Paſſione Domini. cap: 38 dicit. *Tertia ſangvinis effuſio fuit in vellicatione genarum, cujus teſtimonium habemus in Scriptura, dicente ex Perſona ipſius Chriſti, Prophetâ. Genas meas dedi vellentibus: quod quidam exponunt de laceratione ma-*

xillarum facta ungvibûs impiorum Judæorum; quidam autem de contrectatione barbæ Domini. Video sacrilegas manus, etiam ad genarum ipsius vellicationem exarsisse. Joannes item Lanspergius, Homiliâ 24. de Passione Domini. dicit. *Christus consputus, vellicatus est: hoc est, barbâ privatus & capillîs per evulsionem pro bona eorum parte.*

5tò. Passus est Christus injuriam & dolorem intensum ex negatione Petri, de qua pòst agetur sequenti quæstione.

Ad meliorem & uberiorem notitiam dictorum hìc, & aliorum etiam, quæ Christus perpessus est post sui comprehensionem, antequam duceretur ad Pilatum.

58. NOta 1. Cùm dicit S. Matthæus, ad comprehendendum Jesum venisse cum Juda turbam multam *cum gladiis & fustibus.* S. verò Marcus dicit, venisse *cum gladiis & lignis.* nomine *fustium & lignorum,* intellige hastas, lanceas, fustesq; ferratos, & non ferratos, hujusmodi enim erant priscorum arma; usus enim bambardarum nullus tunc erat. Annô primùm 1378. Bartholdus schvarc, alii vocant, Suvartus, Monachus Friburgensis, invenit pulverem nitrium & Sclopum.

59. *Nota 2.* Christus D. ex horto Gethsemani, qui erat extra Civitatem Jerusalem, ductus fuit probrosissimè in ipsam Civitatem per portam Auream, templo proximam, quæ aliàs dicitur, Probatica, vel ovium porta, per quam, sex diebus antè, fuerat ingressus cum magno triumpho & honore palmarum & regia illa acclamatione: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* quod augere tormenta ac mærorem Domini, verè poterat.

60. *Nota 3.* Ex Alphonso Salmerone, Jansenio, Cornelio à Lapide & aliis plurimis classicis Commentatoribus Sacræ Scripturæ. Duplex fuit Concilium Principum Judæorum contra Christum, ac bis in Concilio Christus examinatus fuit, an ipse esset

Christus bis à Judæorũ Cõcilio examinatus.

esset Christus, scilicet, primò, nocte. de quo ait S. Matthæus cap. 26. v. 57. & seq: inquiens. *At illi tenentes JESUM, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi scribæ & Seniores convenerant Principes autem Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra JESUM, ut Eum morti traderent, & non invenerunt; cùm multi falsi testes accessissent. Et surgens Princeps Sacerdotum ait illi. Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si Tu es Christus Filius DEI. Dixit illi Jesus: Tu dixisti.* (id est *Ego sum.* ut habet Marcus cap. 14. v. 62) *Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit. quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: reus est mortis. Tunc exspuerunt in faciem Ejus, & colaphîs Eum ceciderunt* &c. *2dò* examinatus est Jesùs postero manè, de quo Lucas cap. 22. v. 66. & sequ: *Ut factus est dies, convenerunt Seniores plebis, principes Sacerdotū, & Scribæ, & duxerunt Eum in Concilium suum, dicentes. Si Tu es Christus, dic nobis & ait illis. Si vobis dixero, non credetis mihi, si autē & interrogavero, non respondebitis mihi, neq; dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris Virtutis DEI. dixerunt autem omnes. Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis quia Ego sum. at illi dixerunt, quid adhuc desideramus testimonium, ipsi autem audivimus de ore Ejus.* Hucusq; apud S. Lucam cap. 22. & statim post illa verba incipit caput 23. hîs verbîs. *Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt Illum ad Pilatum.*

Christus quare bis examinatus?

61. *Nota 4tò.* Si quæratur. Utiq; Christus D. nocte fuit examinatus coram Pontifice & Sacerdotibus atq; senioribus, quæ ergo necessitas fuit secundi examinis instituendi summo manè? Respondetur cum P. Salmerone & aliis. id consultò factum esse propter rationes has. *1.* Ut quò Christus à pluribus & sæpiùs est examinatus, & in pluribus tribunalibus damnatus, êo magìs, tribunalium specie, tegeretur malitia eorum. *2.* Quia cùm Dominus intempesta nocte captus fuerit & coram Caipha præsentatus, multi ex senioribus & principibus Sacerdotum, non aderant primo examini, ideo summo manè Caiphas còegit Concilium, ut omnes interessent juxta præscriptum: constabat verò illud

lud Concilium, quod dicitur Sanedrin, summo Sacerdote & 71. Judicibus. 3. Quia Sententia noctu pronuntiata, non est valida. ut traditur in authentico de Judicibus: nocturnum enim tempus non est aptum Judicio. 4. Quia judicium nocturnum, fuit turbulentum, ac omni juris formâ spoliatum, cùm iidem essent & testes & Judices & carnifices: & ut errorem suum corrigerent, manè voluerunt prætexere speciem sedati cujusdam & justi judicii, quô causam suam apud populum commendabilem redderent, & se justitiæ æquos protectores ac defensores ostenderent.

62. *Nota 5tò.* Examen Christi primum, peractum esse nonnulli opinantur in domo Annæ; verùm illud fuisse in domo Caiphæ, sufficienter constat ex Matthæo, Marco, Luca, idemq; insinuat Joannes cap. 13. v. 19. dicens. *Pontifex ergo interrogavit JESUM.* Pontifex autem anni illius, erat Caiphas, non Annas, ut ipse Joannes dixit v. 13. In eademq; domo Caiphæ est incussa Christo D. alapa, factaq; & Petri triplex negatio, ut communior Sententia Patrum & Interpretum, asserit. Versimilè item est (ut rectè annotat cum aliis Pater Cornelius à Lapide) aliquos in illo Concilio fuisse Christi sectatores vel amicos, qui pro Christo vel Sententiam dixerunt, vel victi clamore cæterorum, tacuerunt: tales fuêre Nicodemus, & Joseph ab Arimathia. Lucæ cap. 23. v. 51.

63. *Nota 6tò.* Franciscus Richordi refert Historiam, in qua asseritur, posteros illorum Judæorum, qui in faciem Christi exspuerant, habere grande hoc vitium, quòd dum excreant sua sputa, exnunc ea redeant in eorundem facies. Vide Annales P. Joannes Kwiatkiewicz ad Annum 1645. Relatio item est, Militem illum, qui Christi D. faciem in Pontificis domo, excussissimâ palmâ verberavit, perpetuas usq; hodie sui sceleris pænas dare in domo Pilati, sive nunc Gubernatoris Jerosolymitanæ Urbis; ut scribit Franciscus Quaresmius in Libro suo, cui titulus. *Historica, Theologica & Moralis Terræ Sanctæ Elucidatio.* Sed tam historiam illam, quàm hanc Relationem, nullus probatus Auctor, asserit Veritati esse conformem; imò nec ullus ex antiquioribus scriptoribus earum meminit.

Historia dua stupendæ, si à vero non deflectant.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Reſpondetur ad varia quæſita, negationem S. Petri concernentia.

64. PRæmitto. Chriſtus D. dum nocte intempeſta ſubiit examen in Concilio coram Principe Sacerdotum & Senioribus Judæorum, variaſq; injurias, contumelias & illuſiones à miniſtris patitur, Petrus interea Chriſtum abnegavit. De Petri negatione teſtantur omnes quatuor Evangeliſtæ. hoc præmiſſo.

Quæritur. 1. Quoties Petrus negavit Chriſtum?

Dionyſius Carthuſianus, Vir aliàs pius & doctus, (vixit in ſacro ordine Carthuſiano annîs 48. obiit annô 1471. ætatis ſuæ 69. ſcripſitq; plurima) is in Commentario ſuo in cap. 26. Matthæi, ad quæſitum illud primum, Reſpondet, quòd Petrus ſexies negavit Chriſtum. ſcilicet ter in Domo Annæ, ut innuit Joannes, & ter in domo Caiphæ, ut expreſsè habet Matthæus, Marcus, & Lucas. Cardinalis de Vio, Patria Caietanus, Sacri Ordinis Prædicatorum Prior Generalis, ac poſtea à Leone X. Cardinalis Presbyter creatus (Vir ſummi ingenii, qui obiit annô 1534. ætatis ſuæ 66. ſcripſitq; præter alia, in totam ſummam Divi Thomæ & in Sacram ſcripturam Commentaria) is in cap. 18 Joannis commentando, Reſpondet. *Petrus ad minus, quinquies negavit Chriſtum, ter ad vocem mulierum, & bis ad vocem virorum. Dico autem ad minus, propter contenitioſos. Secundùm planum enim Evangeliorum ſenſum, negavit bis ad vocem virilem in domo Annæ, apud Joannem, & bis in domo Caiphæ, apud Lucam, itaque ſepties ſecundùm Hiſtoriam Petrus negavit JESUM.* Hæc ille. Cujus novitatem ſecuti ſunt pauci quidam, non magni nominis ſcriptores.

65. Re-

65. *Respondeo cum communissima Sententia Sanctorum Patrum & Theologorum, Petrus ter nonnisi negavit Christum.*

Responsio probatur multipliciter. 1. Quia Christus expressè prædixit Matt: 26. v. 34. *Ter me negabis.* Si verò pluries esset negaturus, cur potiùs tertium numerum designaret, quàm alium? Certè nisi voluisset designare certum numerum, & dicere nequè majorem, nequè minorem esse futurum, potiùs simpliciter prædixisset, *Me negabis.* Neq; valet dicere cum Caietano. *Qui septies vel quinquies negat, utiq; ter negat? in septenario enim numero includitur ternarius.* Contra enim est (præter dicta superiùs) Quia universaliter numerus Prophetici dicti, ita est intelligendus, ut nec aliquid illi sit addendum, neq; detrahendum. Sicut quod dixit Dominus *Tertia die resurgam*, non est intelligendum, ut secunda, aut quarta, vel quinta, sed præcisè in tertia. *Ratio multiplex pro trina tantùm negatione Petri.*

Secunda Ratio. Quia quilibet Evangelista continet prædictionem de trina negatione, & tantùm tres recenset, iisq; recensitîs, infert impletum esse, quod prædictum fuerat. Constat item ex omnibus Evangelistis, quòd post trinam negationem, Christum Petrus respexerit & Petrus exnunc peccatum suum, amarîs lacrymîs absterserit: Ergo ampliùs illum non negavit: nisi dicatur, post pænitentiam & deletionem peccati, iteratò à Petro Christum negatum, quò nihil absurdiûs. ut rectè dicit Pater Salmeron.

3tia Ratio. Quia omnes antiqui Patres & Doctores Ecclesiæ exponentes Evangelia, tantùm trinæ negationis meminerunt. Multi etiam ex Patribus, asserunt, quòd ideo Dominus post resurrectionem suam à mortuis, ter interrogavit Petrum: *diligis me plus his?* trinam exigendo confessionem ab eo, quâ trinam negationem compensaret. Hinc S. Augustinus, Tomo 4. Tractatu 123. in Joannem. ait. *Redditur negationi trina confessio nè minùs amori lingva serviat, quàm timori; & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium pascere dominicum gregem; si fuit timoris indicium, negare Pastorem.* S. Hieronymus Epistola 149. ad Marcellam. *Trinam* (inquit) *negationem tri-*

nâ postea confessione Petrus delevit. S. Ambrosius libro 10. in Lucam. cap: 13. *Imitare* (inquit) *Petrum dicentem alibi tertiò; Domine, tu scis quia diligo Te. Etenim quia tertiò negaverat, tertiò confitetur.* & alii. Inter Græcos Patres item S. Cyrillus librô 12. in Joannem cap. 64. *Quoniam Petrus ter in tempore Passionis negavit, jure nunc ab eo contra, dilectionis confessio petitur, ut terna negatio æquali confessionis numerô compensetur.* Euthymius in Joan: cap: 21. *Pro tria negatione, trinam offert Petrus confessionem.*

Quare causa lapsus Petri?

66. *Quæritur. 2. Cur Petrus permissus est adeo graviter labi?*

Respondetur. Id factum propterea. 1. Quia nimìs sibi arrogaverat, suæ constantiæ nìmiùm persisus. Et quia ter se jactaverat, & promiserat: *Animam meam pro Te ponam: Etsi oportuerit me mori, non Tè negabo. Tecum paratus sum & in mortem & in carcerem ire* pro hac triplici jactantia, ter tam graviter cadere permissus. Hoc asserit Divus Augustinus lib: de Consensu Evangelistarum. 2. Quia sciens se fragilem & pavidum, temerè se impiorum ministrorum societati, qui JESUM cæperant, immiscuit. Unde S. Ambrosius in Lucam. ait. *Ubi Petrus negavit JESUM? in prætorio Judæorum, in societate impiorum, ubi difficilis innocentia.* & Sanctus Beda in Marci cap. 4. dicit. *Petrus ipse inter ministros Pontificum, vel hominem se nosse, negavit, quem inter Condiscipulos, Dei Filium erat confessus. Tertiam Rationem* dat S. Gregorius, Homiliâ 21. in Evang: *Considerandum* (inquit) *nobis est: cur Omnipotēs DEus, eum, quem cūctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, Ancillæ vocem pertimescere, & se ipsum, negare permisit. Quòd nimirum magnæ actum esse pietatis cognoscimus; ut is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset.* Similia habet S. Leo sermone 9. de Passione & alii, juxta illud. *Non ignora mali miseris succurrere disco.* Virgil.

67. *Quæritur 3. An Petrus negando Christum, amiserit fidem? Respondeo. 1.* Certum est, quòd tunc Petrus peccaverit mortaliter, adeoq; perdiderit gratiam sanctificantem & charitatem; ideoq; Petrus ipse agnoscens suum peccatum *flevit amarè.*

Et in hoc conveniunt omnes Scriptores Catholici (ut ait Suarez) & est universalis Ecclesiæ sensus: quidquid sit, quòd aliqui olim etiam contrarium senserint. Audi & S. Hieronymum. *Scio quosdam* (inquit ille) *pii affectus erga Apostolum Petrum, ut dicerent, Petrum negasse hominem, non Deum, & esse sensum: Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm frivolum sit, prudens Lector intelligit. si defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant, Si enim iste non negavit. Ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne, quid dicat. Me negabis, non hominem.* Et S. Augustinus Tractatu 66. in Joannem dicit. *Non accùsemus Christum, cùm defendimus Petrum: peccatum agnoscat infirmitas, nam mendacium non habet veritas. Agnovit planè peccatum suum infirmitas Petri, prorsùs agnovit, & quantum malum, Christum negando, commiserit, plorando monstravit. Ipse suos redarguit defensores, & unde eos convincat, producit lacrymas testes.*

Negatio Petri frustra excusatur à quibusdam.

68. *Respondeo 2. Petrus non ita negavit Christum, ut fidem amiserit.* Ita multi gravissimi Theologi cum Patre Suarez, qui citat pro hac sententia S. Augustinum Tract: 130. In Joan: & S. Cyrillum lib. 12. cap. 1. Et Ratio est. (inquit Suarez. Tomô 2 in 3. p. q. 46. artic: 8. disp: 35. sect. 1.) Quia non legimus, Petrum negâsse dissentiendo, sed solùm exteriùs negando: imò neq; exteriùs negavit Christum esse Deum vel Messiam, sed solùm se nosse illum, secutumq; fuisse. Hoc autem peccatum directè est contra confessionem fidei, non contra fidem, unde non expellit fidem, sed charitatem. Sicut qui exteriùs negat se esse Christianum, non negat fidei veritatem, sed in ejus confessione deficit: non est autem cur Petro imponamus illud peccatum magìs, quàm ejus verba indicent. S. Cyrillus in Joan. lib. 11. cap. 41. opinatur, quòd Petrus negaverit Christum ex quodam nimio affectu ad Illum, quia ex amore ejus, desiderabat eum videre, & ideo negavit, ne ingredi atrium & ibi adesse ac videre Christum prohiberetur. Verùm probabiliùs est (ut rectè monet Pater Suarez) præ timore, Eum negâsse: sicut ei indicaverat Christus *Animam*

Petrus fidem retinuit, negando Christum.

mam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. His enim verbîs ſatis ſignificavit, non ex affe-ctu ad Ipſum, ſed ex metu Illum fuiſſe negaturum.

Aſpectus Chriſti intuentis Petrum, qualis?

69. *Quæritur 4.* Siquidem legitur in Evangelio, quòd poſt galli cantum, *Converſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: quia priùs, quàm gallus cantet* (*bis.* ut addit Marcus) *ter me negabis: & egreſſus foras, flevit amarè. Quæritur* inquam *An Chriſtus D. corporali intuitu, an tantùm Spirituali, reſpexit Petrum? Ad hoc Quæſitum* S. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu Evang: cap: 6. reſpondet, illum reſpectum fuiſſe tantummodo ſpiritualem, non corporalem: quia Petrus tunc erat foris in atrio deorſum inter ſervos, qui calefaciebant ſe ad ignem: Chriſtus verò D. erat in ſuperiori parte aulæ in interiori habitaculo, ubi audiebatur à Judæis. & concludit S. Auguſtinus. *Qua propter mihi videtur illa reſpectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem, quoties jam negâſſet, & quid ei Dominus prædixiſſet; atq; ita miſericorditer Domino reſpiciente pæniteret, cùm & ſalubriter fleret: ſicut quotidie dicimus: Domine reſpice me. Et reſpexit eùm Dominus; qui de aliquo periculo vel labore, divinâ miſericordiâ liberatus eſt. Et ſicut dictum eſt. Reſpice & exaudi me. &, Convertere Domine, & libera animam meam: ita dictum arbitror, Converſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini.* Idem ſentit S. Ambroſius ſuper verba illa Lucæ. *Converſus Dominus reſpexit Petrum.* nec non & S. Beda lib: 6to. in Luc: cap: 22. Et S. Leo ſerm: 9 de Paſſione inquiens. *Dominus JESUS, qui intra Pontificale Concilium ſolo corpore tenebatur, trepidationem Diſcipuli foris poſiti, divino vidit intuitu, & paventis animum, mox ut reſpexit, erexit, in fletus pænitudinis incitavit.* Ego etſi libens concedam, Reſponſionem hanc dictorum Sanctorum Patrum eſſe valde probabilem: tamen eſt etiam multùm probabile, quod Chriſtus Dominus reſpexerit Petrum, non tantùm ſpirituali intuitu, objiciendo ejus menti fœditatem negationis, & ſtimulando eum per gratias efficaces ad pænitentiam (ut certum eſt) ſed etiam reſpexit Petrum oculîs corporeîs. Et ita ſentit S. Maximus, Epi-

ſcopus

ſcopus Taurinenſis (qui floruit anno Chriſti 420.) in duabus Homiliis de negetione Petri. item Magnus Suarez, Cornelius à Lapide & alii plurimi claſſici Theologi & Interpretes ſcripturæ, hæcq; Sententia magìs videtur accedere ad explicationem literalem verborum illorum *Converſus reſpexit Petrum.* Ad fundamentum contrariæ ſententiæ dici poteſt; quòd Chriſtus D. poſt examen, proclamatus reus mortis, ex atrio ſuperiore, reductus ſit in atrium, quod erat deorſum (ut habet S. Marcus) in quo erat Petrus,ibiq; vertens ſe ad Petrum,benigno oculorum ſuorum nutu verberans Petrum, ſui lapſûs admonuit, & ad ſe revocavit. Aut etiam Chriſtus ex atrio interiore, per apertum oſtium reſpexit Petrum exiſtentem in atrio exteriore: ut opinatur P. Cornelius à Lapide. Vel, quia (ut conjicit Pater Suarez) non conſtat, tertiam negationem, quæ horâ diſtabat à ſecunda, factam eſſe infra in atrio,nullus enim Evangeliſtarum hoc dicit: ſed tantùm de prima, imò neq; dicunt, factam eſſe ad ignem, ſed potiùs ibi ſignificant factam, quò Satellitum multitudo confluebat, quos veriſimile eſt, non longè à Chriſto concurriſſe; fieri ergo potuit, ut Petrus cupiens videre Chriſtum, curaverit aſcendere, & ingredi Aulam,ita ut potuerit videre Chriſtum,ſimulq; ab eo conſpici.

Ad meliorem & uberiorem intelligentiam dictorum.

70. NOta 1. Cum Patre Suarez veriſimiliùs eſt, Chriſtum ad Annam adductum, nihil ibi fuiſſe immortatum: ſed protinus ad Caipham fuiſſe deductum; atque ita omnes negationes Petri, & omnia quæ Joannes narrat, accidiſſe in domo Caiphæ: ſemper enim Joannes vocat *atrium* ſeu *domum Pontificis*. Annas autem non erat Pontifex, ſed Caiphas. Vide & dicta ſuperiùs num. 54.

Nota 2. Petrus, primò negavit abſolutè in atrio JESUM: ut ait S. Matth: cap: 26. v. 71 ſecundò verò negavit cum juramento, dum interrogaretur à ſecunda ancilla, ut ait Matth: v. 72. Tertiò demum, cùm magìs urgeretur, eundem negavit cum execratione, devovendo ſe diris, ut refert Matth: v. 74.

71. *Nota 3.* Fertur à pluribus, quòd Petrus flendo amarè egreſſus eſt foras, in quandam ſpeluncam inter Jeruſalem & inter Montem Sion ſitam ſe recipiendo: ubi uſq; ad diem reſurrectionis Chriſti jugiter flevit; quo in loco poſtea exſtructa eſt Eccleſia in honorem Divi Petri, ad perpetuam tam ſalutaris pœnitentiæ memoriam ſervandam. Quin S. Clemens, S. Petri diſcipulus & ſucceſſor, refert, adeò pœnituiſſe Petrum, ut per totam vitam ſingulis noctibûs audiens galli cantum, in genua procideret, amarèq; defleret ſuum peccatum, ejuſq;, licèt jam remiſſi, iterum & iterum veniam à Deo & Chriſto obnixè poſtularet: ideoq; (ut teſtatur Nicephorus lib: 2. cap. 37.) oculi ejus ex continuo prolatu apparebant quaſi ſangvine aſperſi.

72. *Nota 4.* Si quæratur. *Cur Petrus agnito ſuæ negationis errore, non palàm retractavit negationem Chriſti? cur non publicè eſt profeſſus, ſe Chriſti eſſe diſcipulum? Chriſtum D. eſſe verum Meſſiam?* &c. *Reſpondetur.* Quia tunc Petrus non erat vocatus ad aliud à Chriſto reſpiciente ipſum, quàm ad planctum, utq; fletu hoc, ablueret animam à labe peccati. *Accedit. Tum* quia noluit Chriſtus, ut alius ſangvinem ſecum illa nocte profunderet, ſed voluit torcular calcare ſolus: ſatiſq; erat, quòd poſtea coram Judæis & gentilibus, Chriſtum confeſſurus erat, & pro Ejus gloria crucifigendus. *Tum* quia expoſuiſſet ſe Petrus periculo recidivæ, & Judæos incitâſſet ſine ullo fructu, ad majorem indignationem & odium in Chriſtum, proindè & Petrum, & magìs ipſum Chriſtum excruciâſſent.

73. *Nota 5.* Si quæratur. *Quiſnam fuerit ille diſcipulus, qui erat notus Pontifici* (Caiphæ) *& introduxit Petrum in atrium Pontificis?* ut Legitur apud S. Joan: cap. 18. v. 15. *Reſpondent* quidam ex Patribus, Diſcipulum illum fuiſſe Joannem Evangeliſtam. Lyranus dicit: Joannem fuiſſe notum Pontifici ex eo, quòd ei ſolebat vendere piſces: alii verò propter aliquem ex ſuis Conſangvineis vel cognatis qui Pontifici ſerviebat. Nicephorus, libro 1. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, cap: 28. dicit. Ideo Joannem fuiſſe notum Pontifici, quòd poſſeſſionem ſuam non exiguam in Gali-

læa habitam, vendiderit Caiphæ. Magìs tamen approbo ſententiam, Cornelii à Lapide & aliorum plurimorum aſſerentium probabiliùs eſſe, illum diſcipulum non fuiſſe Joannem, nec ullum Apoſtolorum. Apoſtoli enim erant noti & familiares Chriſti, non Caiphæ; ſiquidem aſſiduò verſabantur cum Chriſto. Chriſtus item & ejus Diſcipuli erant exoſi Pontifici, unde à miniſtris Pontificis, in domum ejus non fuiſſent admiſſi: imò fuiſſent comprehenſi & capti. Quare Verſio Syriaca legit. *Unus ex diſcipulis aliis.* quaſi diceretur. Unus non ex Apoſtolis, qui erant diſcipuli publici Chriſti, ſed ex aliis occultis Chriſti diſcipulis, qui Ejus fidem occultè audiebant & ſectabantur.

QUÆSTIO VII.

Reſpondetur ad varia quæſita concernentia Chriſtũ D. (excepta ejus flagellatione & ſpinîs coronatione, de his enim infrà ſeparatis quæſtionibus agetur) dum eſſet traditus Pilato.

74. PRæmitto. Legitur Matthæi cap. 27. v. 1. Lucæ 22. v. 66. Marci 15. v. 1. quòd *manè facto.* ſeu. *ut factus eſt dies* (fuit hoc manè feriæ 6tæ, ſive diei Veneris, quâ poſt aliquot horas crucifixus eſt) *Conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & ſeniores populi adversùs JESUM ut Eum morti traderent & vinctum adduxeruut Eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi.* Hinc conſtat, quòd JESUM, univerſum Concilium ex Principibus Sacerdotum & Senioribus Sacerdotum congregatum, adduxerint ad Pilatũ, adhibitâ tamẽ operâ miniſtrorũ, qui proximè tenuerunt Chriſtum ligatum. Non ſatìs habuerunt mittere, ſed omnes, qui ipſum in Concilio condemnaverant, comitati ſunt & ipſimet

met adierunt Pilatum. Tum ut auctoritate præsentiæ omnium, cohiberetur populus, ne quid in via tentaret ad liberandum JESUM: nullusq; auderet Christo patrocinari, Senioribus omnibus præsentibus. Tum ut sic urgeretur Pilatus, quatenus JESUM quàm primùm damnaret & occideret, quem jam totum Concilium, jam satìs examinâsset & damnâsset, *velletq; executor esse sævitiæ* (ut inquit S. Leo serm. 8. de Passione Domini) *non arbiter causæ*. Hoc præmisso.

75. *Quæritur 1. Cur Judæi tradiderunt Christum Pilato ad occidendum? cur ipsimet Eum non interfecerunt?*

Judæi ipsimet cur non occiderunt Christum?

Respondetur. Id factum esse propter varias Rationes, inter quas sunt hæ: *Prima.* Quòd Romani, Judæis devictìs subactìsq;, ademerint illis omnem de capitalibus causis judicandi potestatem. sibiq; vendicârint; ideoq; Joannis cap: 18. v. 31. dixerunt Judæi Pilato. *Nobis non licet interficere quemquam.* Et Josephus Hebræus, lib: 20. Antiquitatum cap. 8. refert. Ananum Pontificem Judæorum, Pontificatu fuisse privatum quòd Jacobum Fratrem JESU, & alios quosdam viros bonos, còáctô judicum conciliô, reos impietatis peractos, lapidandos tradidisset, absq; assensu Romani Præsidis. S. etiam Chrysostomus, Homiliâ 82. in Joannem, postquam quæsivisset. *Cur ipsimet Judæi non interemerunt Christum D.* Respondet. *quia multùm de eorum imperio jam ademptum erat à Romanis.* Quod si objiceret aliquis. Utiq; à Judæis, S. Stephanus est lapidatus. ut legitur Actor. 7. versu 58. & Christum D. ipsum, voluerunt lapidare, ut habetur Joan: cap: 10. v. 31. Respondetur facilè, îd non jure & judiciô, sed injuriâ & impetu furentis populi factum esse. *Secunda Ratio.* Quia dies, in quo hæc acta sunt erat festum Paschæ celeberrimum & Sanctissimum, quô vel non liceret, vel non deceret, Judæum vitâ privare; in illo enim die celebrabatur memoria exitûs de Ægypto, quo die, ipsi liberati fuerant: & hæc Ratio est etiam S. Augustini, qui Tractatu 114. in Joannem dicit. *Intelligendùm est, Judæos dixisse: Non sibi licere interficere quemquam: propter diei festi Sanctitatem, quem celebrare jam cœperant, propter quem de*

ingressu

ingressu etiam Prætorii contaminari metuebant. Alii dant etiam Rationes has: ideo traditum Pilato Christum D. Tum ut Eum Pilatus, quasi latronem & rebellem Cæsari, ad ignominiosissimam & atrocissimam crucis mortem, condemnaret, & inter latrones crucifigeret. Tum quia dedignati sunt, Eum immediatè per se interficere, qui se, multîs applaudentibûs dixerat Regem Judæorum: ne fortè aliquando exprobraretur ipsis, quòd Messiam suum, Regemq; proprium interfecissent. ac proinde maluerunt, ut ab Ethnico id fieret, tanquam non ferentem, ambitionem affectantis regnum, & se Regem Judæorum jactantis.

76. *Quæritur 2dò. Cùm Pilatus exivit ad eos foràs, & dixit; Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* *Quænam accusatio in universali est allata adversus JESUM?*

Respondetur Verbîs S. Joannis cap. 18. v. 30. *Dixerunt & responderunt Judæi, Pilato. Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus Eum* nos morte afficiendum; nos inquam Seniores populi Jsraelitici, vitæ integritate spectatissimi, nos judices in Jsrael incorruptissimi & probatissimi. *Itane malefactor ille est* (meritò quæro cum Sancto Cyrillo) *qui ad destructionem malorum in Mundum venit?* De quo veracissimè dictum est Marci 7. v. 37. *Bene omnia fecit.* Rectissimè ait S. Augustinus Tractatu 114. in Joan: in citatum locum à S. Joanne. *Interrogentur atq; respondeant ab immundis spiritibus liberati, sanati langvidi, leprosi mundati, surdi audientes, muti loqnentes, cæci videntes, mortui resurgentes; & quod omnia superat, stulti sapientes, utrum sit malefactor JESUS? Sed ista dicebant, de quibus per Prophetam jam Ipse prædixerat: Retribuebant mihi mala pro bonis.* Hucusq; S. Augustinus.

Christo sunt obiecta tria crimina.

Quæritur 3tiò. Quænam tamen in particulari, crimina coram Pilato Judæi objecerunt Christo D?

Respondetur præcipuè tria, ut recenset S. Lucas cap. 23. v. 1. & 2. *Duxerunt Illum ad Pilatum, cæperunt autem Illum accusare dicentes.* (Primum crimen) *Hunc invenimus subvertentem gentem*

noſtram. (2dum crimen) *& prohibentem tributa dare Cæſari.* (3tium) *& dicentem, Chriſtum ſe Regem eſſe.* quartum crimen innuit Pilatus in ſua Epiſtola in cauſa JESU ſcripta ad Tiberium Imperatorem (quam vide infra in Notato 3.) quòd ſcilicet Judæi aſſeruerint Chriſtum eſſe Magum. Verùm hæc objecta crimina, eſſe falſiſſima, in aperto eſt. Illene ſubvertit gentem Judaicam, qui mundabat leproſos, eoſq; ad judicium Sacerdotum mittebat? Lucæ 17. qui tot ſalutaribûs monitîs & exemplîs, ad virtutem omnes incitabat? Qui de ſe in omni veritate dicebat Matthæi 5. v. 17. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Nonne item Chriſtus D. doloſè interrogatus. *Si licet dare cenſum Cæſari?* expreſsè reſpondit Matthæi 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo;* necnon tam pro ſe, quàm pro Petro, drachma Cæſari ſolvere præcepit? Matth: 17. Nonne effugit in montem ne Rex crearetur? Joannis 6. Illene magus, ſeu habens commercium cum dæmonibus; qui continuò hoſtiliter adverſa fronte perſecutus eſt infernales ſpiritus, & ex energumenorum corporibus, necnon ex mentibus & animabus impiorum, dæmones expellebat?

Chriſtus accuſatus, quare ſilet?

77. *Quæritur 4tò. Cur Chriſtus D. cùm accuſaretur à Principibus Sacerdotum, & ſenioribus populi, nihil reſpondit?* ut legitur apud S. Matth: cap: 27. v, 12. *Reſpondet* S. Hieronymus. *JESVS nihil reſpondere voluit, ne crimen diluens, dimitteretur, & crucis utilitas differretur.* Et S. Ambroſius in caput 23. Lucæ. ait. *Bene tacet, qui defenſione non indiget, ambiant defendi, qui timent vinci. Quid timeret, qui non ambiret ſalutem? ſolus ſuam omnium prodit, ut acquirat omnium. Reſpondetur 2dò.* Quia ea, quæ ei objiciebantur, manifeſtè falſa erant, & indigna reſponsô. ut S. Auguſtinus, ſermone 180. de Tempore ait. *Accuſationem ſuam Dominus tacendo, non firmat; ſed deſpicit, non repellendo. Melior eſt cauſa, quæ non defenditur, & probatur; plenior juſtitia, quæ non verbîs adſtruitur, ſed veritate fulcitur. Scivit Salvator, qui eſt Sapientia, quomodo tacendo, vinceret, quomodo non reſpondendo, ſuperaret. 3tiò.* Reſpondet antiquiſſimus Commentator in Matthæum, Ti-

tus.

tus. *Tacet*, (inquit) *quòd se nullis eos verbîs persvasurum certò sciret.* Scivit enim, quidquid tandem respondisset, nihil se profuturum, & responsô suô, magìs irritandos fuisse Judæos furentes in necem suam. *Quartam Rationem* taciturnitatis hujus, tradit Cornelius à Lapide cum pluribus, scilicet; ut silentiô suô lueret & expiaret omnia mendacia, perjuria, blasphemias, maledicta, calumnias &c: quæ homines loquendo committunt, eosq; doceret linguam frænare, ac in malis, otiosis, & vanis, silentium ori indicere. Demum ipso Christi silentio impleri oportebat prophetiam. *Quasi Agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum.* Jsaiæ 53 v. 7.

78. *Quæritur 5tò. Postquàm à Pilato missus fuit ad Herodem Christus D. quænam illi contigerunt?*

Præmitto. Christus D. etsi natus fuerit in Bethlehem, dicebatur tamen, & erat Galilæus: tum quia fuerat conceptus, educatus, & continuîs annîs triginta in Nazareth, oppido Galilææ habitaverat; quare Pilatus (ut legitur Lucæ 23.) cùm audîsset, JESUM esse Galilæum, captando occasionem se extricandi ab Ejus condemnatione, bene gnarus, quòd *per invidiam* postularetur à Judæis ad mortem, (ut habetur Matth: 17. v. 18.) vinculîs constrictum, misit ad Herodem, Galilææ Regem, qui tunc propter Pascha erat Jerosolymis. (distabat Prætorium Pilati ab Herodis aula, 350. gressibûs. ut notavit Adrichomius) Herodes, adducto & *viso JESU, gavisus est valde* (ut scribit S. Lucas cap: 23.) *erat enim cupiens ex multo tempore videre Eum, eò, quòd audiret multa de Eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Hoc præmisso.

Respondeo. Christo D. apud Herodem, contigerunt hæc, 1mò. *Interrogabat Jesum multis sermonibûs: ast ipse, nihil illi respondebat.* Quinam illi essent sermones, non expressit S. Lucas. Est tamen multùm probabile (ut censent P. Salmeron & alii plures Commentatores) dixisse Herodem, inter alia ferè hæc Es ne tu ille, qui illusisti parentem meum, & cujus gratiâ, pater meus multos occidit infantes, & aliquot ex fratribus meis: ut isti ad- *Quænã Christo contigerunt apud Herodem?*

ſtantes Seniores Populi Jſraelitici teſtes deponunt contra Te? Tune es Ille, ad cujus adventum, ſimulacra Ægypti in terram corruiſſe feruntur? de quo fertur, quòd cæcum natum, illuminaveris, decem leproſos mundaveris, dæmonibûs oppreſſos liberaveris, ſurdos audire, mutos loqui, claudos ambulare feceris? Es ne tu Joannes ex morte redivivus (ſic enim à quibusdam dicebatur, ut habetur Lucæ 9. v. 7.) an aliquis ex veteribus Prophetis? Undenam habes poteſtatem patrandi miracula, quæ de Te narrantur? Deinde, tacente Chriſto, juſſit (ut quidam opinantur) aquam & panem afferri: audivi, (inquit) quòd aquam in vinum mutaveris in nuptiis in Cana Galilææ, & panes hordeaceos multiplicaveris in diſerto. Ecce tibi materiam paratam: fac hìc, quod feciſti aliàs, in meæ Regiæ dignitatis gratiam. Verùm Salvator Mundi ad tot & ſimilia Herodis dicta, nullum miraculum in conſpectu illius adulteri patravit: imò nec uno verbo reſpondere ei dignatus eſt. Tum *quia* (ut ait S. Beda) *crudelitas ejus, non merebatur divina: & Dominus jactantiam declinabat.* Tum quia (ut inquit antiqiſſimus Commentator Titus) *Non decebat, ut cœleſtia ſigna coram eo ederet, qui præſtigiis ſpectandis, quàm divinis miraculis cognoſcendis, addictior erat.* Tum quia, ne videretur Chriſtus D. adulatus Herodi, aut ejus favorem venari, & ſic à moriendo, ſe velle liberare.

2dò. Apud Herodem Chriſto D. exiſtenti factum eſt *quòd illum ſprevit cum exercitu ſuo & illuſit veſte alba indutum.* Verſio Græca & Siriaca ſignificant, variis etiam aliis modîs illuſum fuiſſe: probabiliſſimum eſt, convitiîs variis, ſcommatibûs &c. Addit S. Lucas & *remiſit* (nempe Herodes JESUM) *Ad Pilatum, & facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam antea inimici erant ad invicem.* Cauſa inimicitiæ fuerat, quòd Pilatus interfecerat Galilæos, inconſulto Herode, Sanguinem eorum miſcendo cum ſacrificiis: ut ſcribit Joſephus Hebræus hiſtoricus lib: 20. Antiquitatum. cap: 4.

Uxoris Pilati ſomniū à quo & cur?

79. *Quæritur 6. Per quemnam fuit immiſſum ſomnium Uxori Pilati pro liberando Chriſto D.?*

Præmitto

Præmitto. Dum Pilatus ſedens pro tribunali, congregatis ſenioribus & populo Judæorum, optionem electionemq; dimittendi unum ex vinctis, in arbitrio populi reliquerat, dixit: ut legitur apud Matth: cap: 27. *Quem vultis dimittam vobis: Barabbam an JESUM, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim, quòd per invidiam tradidiſſent Eum. ſedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum Uxor ejus, dicens: Nihil tibi & Juſto illi, multa enim hodie paſſa ſum per viſum* (græcè eſt. *inſomnis*) *propter illum.* Hoc præmiſſo.

Reſpondetur ad Quæſitum. Plurimi Patres, ut Origines, S. Athanaſius, S. Hieronymus, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Hilarius, S. Chryſoſtomus, S. Leo Papa (quorum omnium vide textus apud P. Salmeronem Tomo 10. Tractatu 27.) cenſent, ſomnium illud, uxori Pilati inditum fuiſſe à Deo per S. Angelum. Citatos Patres ſequitur Euthymius, Theophylactus, Salmeron, Maldonatus, Cornelius à Lapide & alii plurimi: ſoletq; dari à pluribus cum P. Maldonato Ratio etiam hæc. Quia ita voluit DEUS condemnari Chriſtum, ut tamen ejus innocentiæ ferret teſtimonium, non ſolùm Judex Pilatus, qui ſententiam in ejus cauſa laturus erat, ſed etiam omnis generis perſonæ & omnia elementa: ſicq; de Chriſti innocentia teſtati ſunt Judæi multi, qui in Chriſtum credebant, Uxor item Pilati, centurio & milites, qui paulò antea, Chriſto crucifixo convitia inferebant, ſol per ſuam ecclypſim, petræ per ſuam ſciſſionem, terra per ſuam concuſſionem, Templum per diruptionem veli. Non eſt tamen improbabilis ſententia S. Bernardi Sermone 1. de Reſurrectione. item Rabani (qui annô Chriſti 850. fuit Epiſcopus Moguntinus.) & Petri Comeſtoris (qui & Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ vocatur, floruit is annô 1150.) Lirani, Carthuſiani, Cajetani, qui opinantur ſomnium illud immiſſum fuiſſe uxori Pilati à dæmone, ne per mortem Chriſti, homines ſalvarentur. Sed in contra rectè urget P. Cornelius à Lapide cum aliis. Si dæmon JESUM liberare voluiſſet, potiùs Judæos & Principes in gratiam & commiſerationem JESU Chriſti flexiſſet, quàm mulierem.

Quod ſi ulteriùs quæratur. Cur ipſemet Pilatus ſomnium hoc

non vidit? *Respondet* S. Chrysostomus Homiliâ 77. in Matth: *Aut quia mulier dignior erat: aut si Præses somnium hoc se dixisset vidisse, non ita sibi creditum fuisset: aut quia non edixisset, sed secum ipse tenuisset. Idcirco igitur ex dispensatione, mulier vidit, ut omnibus notum fieret, nec solùm somniat, verùm etiam multa patitur, ut maritus uxori condolendo, tardior ad cædem redderetur.* Similiter ferè Respondet Theophylactus & Euthymius in Matth: cap: 27.

Judæorũ pœna ob Christum interemptum.

80. *Quæritur 7. An & quænam passi sunt Judæi imprecantes sibi: Sanguis Ejus super nos & super filos nostros? Respondetur.* Inter alia innumera, passi sunt hæc: quòd quadragesimô circiter annô post mortem Christi, sunt funditus à Romanis eversi, & post excidium Hierosolymæ, sine Urbe sua, sine templo, sine Sacrificio, sine Pontifice, sine Principe, ubiq; vagantur: multæq; Judæorum myriades, tempore obsidionis Hierosolymitanæ, bellô & fame interierunt: & sicut ipsi Christum D. interficiendum tradiderunt Pilato præsidi Romano: sic & ipsi à Deo, Romanis Imperatoribus Tito & Vespasiano traditi sunt, ut exscinderentur. ut notat S. Cyrillus in Joan: cap: 18. Theophylactus & Victor in Marci cap: 14. item, sicut Pilatum vociferatione sua impiâ, ferè còegerunt ad crucifigendum Christum D. ita Titus obsidens Jerosolymam, cùm Judæi, extrema fame pressi, cibi conquirendi causâ, turmatim egrederentur ex Urbe, ipse quingentos & plures crucifigi jussit, *ut tandem locus crucibus deesset, & corporibus cruces* ait Josephus ipse testis oculatus lib: 6. de bello, cap: 12. & *perseverat* (ut ait S. Hieronymus) *usq; in præsentem diem hæc imprecatio super judæos, & Sangvis Domini non aufertur ab eis* prædicente Daniele Prophetâ cap: 9. v. 27. *Usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Multa alia illius imprecationis, Sangvinis Christi super se, symbola traduntur. Nam quidam ajunt: Judæos tam viros, quàm fæminas, in die Parasceves, pati fluxum sangvinis & in totum pallidos effici; Alii verò asserunt, quòd in omni pleniluniô patiantur fluxum sangvinis, & ipso die Parasceves: & ideo ut plurimùm colore

malo

malo esse præditos. Sunt, qui illud Prophetæ dictum; Psal: 77. *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis.* ad literam exponunt de Judæis. Addit S. Vincentius serm: in die Parasceves: quòd in signum illius imprecationis *Sanguis ejus super nos.* masculi Judæorum quando nascuntur, quòd habeant manum dexteram plenam Sanguine capiti innixam. Verùm rectè admonet Pater Salmeron, hæc non videri solidîs Historicorum testimoniîs firmari: ideoq; asseverare non audemus (inquit ille) adeoq; fidem Prudentium Lectorum arbitrio relinquimus. Admonitionem hanc Patris Salmeronis approbat Cornelius à Lapide. Tostatus verò Episcopus Abulensis in lib. 1. Regum cap: 1. Quæst; 15. & 19. existimat dicta simbola à vero deviare, quamvis viri alicujus Auctoritatis hæc asserunt.

Ad meliorem dictorum intelligentiam & Eruditionis gratiâ

81. *Nota 1.* Pilatus seriò ac sincerè voluit Christum D. liberare à morte. ut docet S. Augustinus cum plurimis aliis Sanctis Patribus: idq; videtur sat clarè colligi ex Lucæ cap: 13. v. 20. & ex S. Petro, Actorum cap: 3. v. 13. dicente. *JESUM negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.* Item ex eo. Tum quòd miserit JEsum ad Herodem, ac remissum ad se, tam suo quàm Herodis testimoniô innocentem declaraverit. Tum, quòd composuerit Eum cum Barabba insigni latrone, multîs homicidiîs inquinato, sperans, Judæos potiùs liberaturos JESUM, de quo communis fama fuit, quòd plurimis ægris & mortuis vitam dederit, quàm Barabbam scelestum, & insignem homicidam

Pilatus serò voluit Christum dimittere.

Nota 2dò. Videns Pilatus, quia nihil proficeret, sed magìs tumultus fieret, acceptâ aquâ lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à Sanguine Justi hujus: vos videritis. ut habet Matthæus cap: 27. v. 24. Sed rectissimè S Augustinus Sermone 118. de Tempore ait. *Laverit licèt manus Pilatus, tamen sua facta non diluit, quamvis abstergere se putaverit Justi Sangvinem*

de ſuis membris: eodem tamen Sanguine mens ejus tenetur infecta: ipſe enim occidit Chriſtum, quia Eum tradidit occidendum. Judex enim bonus & conſtans, ne Sanguinem innocentis addiceret, nec invidiæ cedere debuit, nec timere. Scivit aliàs Pilatus, immiſsis in populum militibûs ſedare tumultum: ut refert Joſephus lib: 18. Antiquitatum: cap: 4. Cur hoc nunc non præſtitit?

Epiſtola Pilati de Chriſto Romam.

82. *Nota 3tiò.* Hegeſippus in ſua Anacephalèóſi de morte & Reſurrectione Chriſti refert, Pilatum ad Tiberium Imperatorem ſcripſiſſe Epiſtolam hanc. [Nuper accidit, quod & ipſe probavi, Judæos per invidiam, ſe ſuoſq; poſteros crudeli condemnatione puniſſe. Deniq; cùm promiſſum haberent Patres eorum, quòd illis mitteret Deus de cœlo Sanctum, qui eorum meritò Rex diceretur & hunc ſe promiſerit miſſurum per Virginem in terram, Iſtum itaq;, me Præſide in Judæa, DEus Hebræorum cùm miſiſſet, & vidiſſent Eum, cæcos illuminâſſe, leproſos mundâſſe, dæmones ab hominibus fugâſſe, etiam mortuos ſuſcitâſſe, imperâſſe ventis, ambulâſſe ſiccis pedibûs per undas maris, & multa alia feciſſe. Cùm omnis populus Judæorum, Eum DEI Filium eſſe diceret, invidiam contra Eum paſſi ſunt Principes Judæorum, & tenuerunt eum, mihiq; tradiderunt, & alia pro aliis mihi de Eo mentientes, dixerunt; aſſerentes eum, magum eſſe, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita eſſe, & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum: illi autem crucifixerunt Eum, & ſepulchro cuſtodes adhibuerunt: Ille autem militibûs meis cuſtodientibûs, die tertio reſurrexit. In tantum enim exarſit nequitia Judæorum, ut darent pecuniam cuſtodibus, & dicerent: dicite, quia diſcipuli ejus, corpus ipſius rapuerunt; ſed cùm accepiſſent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt; nam & illum ſurrexiſſe, teſtati ſunt ſe vidiſſe, & ſe à Judæis pecuniam accepiſſe. Hæc ideo ſcripſi, ne quis aliter mentiatur, & exiſtimet credendum eſſe mendaciis Judæorum,] Hactenus Epiſtola: quæ quidem an eadem ipſa ſit, quam à Pilato

ad

ad Tiberium tunc temporis scriptam esse constat, reliquimus Lectoris prudenti judicio (inquit Cardinalis Baronius in suis Eruditissimis Annalibus, ad Annum Christi 34.) & ibidem addit idem Baronius. Certè quidem consvevisse Præsides Provinciarum res magni momenti, quæ contigissent in Provinciis ad Jmperatores scribere, mille exemplis exploratissimum est. Pilatum verò hæc nuntiasse Imperatori, ex his quæ scribit Tertullianus Doctissimus, qui floruit tempore Severi Imperatoris, facilè potest intelligi: dum in suo Apologetico, adversùs Gentes. cap: 5. & 21. ait. *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in sæculum introivit, nuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quòd illic veritatem illius Divinitatis revelaverat, detùlit ad Senatum cum prærogativa Suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar autem in Sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus*, (id est Christi defensor ad tempus) *Cæsari tunc Tiberio nuntiavit.* Hæc ille. Ejusdem Epistolæ meminit Eusebius lib. 2. Histor: Eccles: cap: 2. Nicephorus lib: 2. cap: 8. Orosius lib: 7. cap: 4. S. Gregorius Turonensis, Hist: lib: 1. cap: 24. Ado Viennensis, & alii.

83. *Nota 4.* De Uxore Pilati Lucius Dexter in Chronico ad Annum Christi 34. scribit. *Annô Christi 34. Christus Salvator Mundi, reus apud Pilatum agitur. Claudia Procula Uxor Pilati admonita per somnium, in Christum credit, & salutem consequitur.* In Evangelio etiam Nicodemi (quod licèt Apocryphum est, multa tamen vera probaq; continet, ut dicit Cornelius à Lapide) leguntur hæc. *Cogitante Pilato, quid ageret de JESU, misit ad eum Uxor ejus, nomine Procula, dicens: Nihil tibi & Justo illi, multa enim hodie passa sum in somnis propter Eum: respondentes Judæi, dixerunt Pilato. Nunquid non diximus, quia maleficus est? Ecce somnium immisit ad uxorem tuam.* Menologium item Græcorum, Pilati uxorem Proculam, Cathalogo Sanctorum adscribit. An etiam per hanc uxorem suam, Pilatus ad fidem Christi fuerit conversus, incertum est; multò magis adhuc incertum, an salutem

Pilati Uxor an Salvata?

æternam ſit conſecutus: ſiquidem paſſim Hiſtorici varii graves, & ſat antiqui aſſerunt, Pilatum, ſumma deſperatione actum, propria ſe manu interfeciſſe. Vide Card: Baronium ad Annum Chriſti. 41. mihi, foliô 327. & noſtrum Cornelium à Lapide in cap: 27. Matth: v. 19.

QUÆSTIO VIII.

Reſpondetur ad varia Quæſita concernentia flagellationem Chriſti D.

EXtra dubium eſt, flagellis cæſum eſſe Chriſtum D. id enim expreſſe legitur apud Matthæum cap: 27. v. 26. Marcum cap: 15. v. 25. Joannem capite: 19. v. 1. ſed hìc.

Chriſtus cur flagellatus?

84. *Quæritur 1. Quarenam Chriſtus D. ex imperio Pilati flagellatus?* Reſpondet S. Auguſtinus Tractatu 160. in Joan: *Hoc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt: niſi ut ejus injuriis Judæi ſatiati, ſufficere ſibi exiſtimarent, & uſq; ad ejus mortem ſævire deſiſterent.* & S. Chryſoſtomus Homiliâ 43. in Joan: ait. *Ut ita ſedato Judæorum furore, inde Jeſum dimitteret.* Sanctus item Cyrillus Lib: 12. cap: 15. inquit. *Putavit Pilatus placari hoc modo poſſe populum Judæorum, ſi, qui nullam habebat cauſam, hæc non meritò pati oculis cerneretur.* Similiter reſpondent Thèóphylactus, Euthymius & alii Expoſitores Sacræ Scripturæ. Unde Pilatus productô immediatè poſt flagellationem Chriſtô D: illôq; oſtenſô, dixit. *Eccce Homo*, quaſi diceret, ſic flagellatus & verberibûs eſt cruentatus, ut non videatur habere ſpeciem hominis; proinde meritò commiſerationem habere debetis, nec velle ut cruci affigatur. & antè dixerat. *Emendatum Illum dimittam. Corripiam ergo Illum & dimittam.*

Quæritur 2. Chriſtus Dominus cur voluit flagellari? Re-

ſponde-

spondetur. Ex parte Dei & ex parte Christi eadem hujus passionis quæ & cæterarum fuit ratio, quam exposuit Jsaias cap: 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm. Oblatus est, quia ipse voluit.* & ibidem, paulò suprà. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.* Divus item Hieronymus ait: *Flagellatus est Christus, ut quia scriptum erat: Multa flagella peccatorum.* (Psal: 31.) *illô flagellatô, nos à verberibus liberaremur.* Et S. Cyrillus dicit. *flagellatus Christus injuriâ fuit, ut à vulneribus quæ jure peccatis nostris perpessi sumus, nos liberaret:* voluitq; Salvator noster hac flagellatione luere & expiare voluptates omnes nostras prohibitas sceleraq; gravia: insuper mereri omnibus Martyribus robur ad quælibet adversa & flagellationes, fortiter toleranda. Hæc flagellatio longè ante prædicta fuit per Prophetam Jsaiam cap: 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus,* & S. David Psalm: 34. in Persona Christi. *Congregata sunt super me flagella,* nempe magnô numerô. & Psalmô 37. *Quoniam ego in flagella paratus sum.* item Psal: 128. v. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* oportebat item Verbum JEsu impleri, quod ipse antè prædixerat Matthæi 20. *Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & scribis, & condemnabunt Eum morte: & tradent Eum Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum.*

85. *Quæritur 3. Quotiesnam Christus D. flagellatus à Pilato?*

Joannes Gerson, Academiæ celeberrimæ Parisiensis Cancellarius (qui obiit Annô Christi 1429.) & nonnulli alii, censent Christum D. bis flagellîs à Pilato cæsum esse; semel quidem, ad sedandum Judæorum furorem; dein cùm damnatus jam esset ad mortem, fuit enim consvetudo Romanorum, jam damnatos ad mortem, priùs flagellari. ut notat Sanctus Hieronymus Tomô 9. cap: 27. in Matth. dicens. *Legibus Romanis sancitum est, ut qui crucifigitur, priùs flagellîs verberetur.* Sed quidquid sit *Flagellatus semel & quãdo?*

de hac conſvetudine Romanorum. *Ad quæſitum Reſpondeo.* Saltim probabiliſſimum, ſi non omnino certum eſt, tantummodo Chriſtum D. ſemel à Pilato flagellatum eſſe. Et ita ſentit S. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſ: Evangeliſt: cap. 9. Tomô 4. Lyranus, & Card: Toletus in cap. 19. Joannis. Suarez in 3. part: Tomô 2. diſp. 35. Sect. 2. & communiſſimi alii Theologi & Commentatores Sacræ Scripturæ. *Ratio eſt.* Quia (ut ait Cornelius à Lapide) ſemel tantùm fuiſſe flagellatum Chriſtum, patet: ſi quis conferat Matthæum, Marcum, cum Joanne: Omnes enim de una & eadem Chriſti flagellatione loquuntur. Et Magnus Suarez dicit: ſi attentè conſiderentur omnes circumſtantiæ, facilè intelligetur, omnes hos Evangeliſtas, de eadem flagellatione eſſe locutos. Nam Joannes, ante ſententiam narrat Chriſtum fuiſſe flagellatum, ſpinis coronatum, & à militibus illuſum: quæ omnia Matthæus & Marcus poſt ſententiam Pilati, retulerunt: neceſſe eſt ergo dicamus, omnia hæc per recapitulationem fuiſſe ab eis narrata, niſi velimus fingere, ea omnia bis facta eſſe.

Porro hæc flagellatio eſt facta, antequam Pilatus in Chriſtum D. protulit Sententiam mortis: quia (ut arguit rectè Suarez) poſt Sententiam latam mortis, illis verbis. *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* Statim ſequitur. *Suſceperunt autem JESUM, & eduxerunt Eum* &c. Deinde, verba Matthæi & Marci, nullo modo indicant aliam flagellationem, quæ poſt latam ſententiam ſubſecuta ſit. ſic enim habent. *Tunc dimiſit illis Barabbam, JEſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* quibus verbis non dicunt, flagellâſſe JEſum, ut crucifigeretur: ſed JESUM jam flagellatum tradidiſſe, ut crucifigeretur: quod verum erit, etiamſi multò antea, Chriſtus eſſet flagellatus.

Ad illud, quod objicitur. Ad ſervandam Romanorum legem, vel conſvetudinem, debuit Chriſtus iteratò flagellari, ut crucifigeretur. Reſpondetur. Conceſſo interim fuiſſe hunc morem Romanorum, vel legem; quia tamen jam antea, atrociter (ut conſtabit mox infrà) fuit flagellatus, non erat opus iterata flagellatione.

86. *Quæritur 4tò. Fuitne Christus D. alligatus columnæ, ut flagellaretur?* *Alligatus fuit Columnæ ubi hæc columna?*

Respondetur affirmativè. Ratio est, id constat Tum ex traditione & consensu fidelium. Tum ex testimonio antiquorum Patrum & gravium Historicorum. S. Hieronymus Tomô 1. in Epitaphio S. Paulæ ad Eustochium. ait. *Ostendebatur illi* (scilicet S Paulæ) *columna, Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini; ad quam vinctus dicitur, flagellatus.* Et S. Beda, lib: de Locis sanctis. cap. 3. testatur, hanc columnam suo tempore in medio Ecclesiæ sitam fuisse, eamq; esse marmoream. Aurelius Prudentius, Pòëta Christianus (vivebat Annô Christi 380.) de Christo dicit.

Atque Columnæ
Annexus, tergum dedit ut servile flagellis.

Meminit hujus columnæ & S. Gregorius Turonensis Episcopus, (qui floruit Annô Christi 590.) in lib. de Gloria Martyrum cap. 11. qui & addit. *Ad hanc columnam, multi fide pleni, accedentes, corrigias textiles faciunt, eamq; circumdant, quas rursus pro benedictionibus accipiunt, diversis infirmitatibus profuturas.* Glossa item ordinaria in illud Lucæ cap. 23. *Corripiam ergo illum, & dimittam.* dicit. *Quod & verba Joannis Evengelistæ, & ipsa columna testatur, ad quam ligatus fuit Dominus, quæ usq; hodie Dominici Sangvinis, cernentibus, certa signa demonstrat.* Meminit itidem illius Columnæ S. Paulinus Episcopus Nolanus (floruit Annô Christi 440.) in Epist: sua 34. & Nicephorus lib. 8. cap. 50.

Confirmatur Responsio. Quia Christus D. ex more Romanorum flagellatus est. Romani verò, quos flagellabant, funibus vel loris adstringebant Columnæ vel palo. Vide Patrem Gretserum lib: 1. de Sancta Cruce. cap. 10.

Nota. Columna illa postea translata est Romam, & visitur in Templo S. Praxedis. Quia verò hæc columna est exigua, scilicet solùm altitudine trium palmorum, ideo censet Cornelius à Lapide cum nonnullis aliis, Columnam hanc, partem vel

appendicem esse majoris, quam nominat suprà S. Hieronymus.

87. *Quæritur 5tò. A quibusnam flagellatus est Christus? & quot fuerunt flagellantes? & ubi flagellatus?*

Respondetur ad primam partem hujus quæsiti. Etsi apud S. Joan. cap. 19: v. 1. legitur: *tunc apprehendit Pilatus JEsum, & flagellavit.* tamen ferè certum est, quod is non per seipsum immediatè, sed per lictores milites suos, illum flagellaverit: sicut dicitur Actorum cap. 12. de Herode *Occidit Jacobum Fratrem Joannis gladiô: videns autem, quia placeret Judæis, apposuit apprehendere & Petrum, quem cùm apprehendisset, misit in carcerem* &c: Principes enim & Judices dicuntur id facere per carnifices ministros suos, & Pilatus per milites suos gentiles. Est autem non improbabile. (ut ait Salmeron) Brutios seu Brutianos milites ministros Pilati fuisse, qui Dominum flagellârunt. sunt autem Brutiani vel Brutii populi, qui hodie Consentini vocantur cum pagis vicinis, qui sunt, ut fertur, supra trecenti. *Ratio* hujus non improbabilitatis est, quia Gellius lib. 10. Noctium Atticarum: cap. 3. & Petrus Crinitus lib. de honestg disciplina cap. 7. testantur. *Cùm olim Hannibal Pœnus, cum exercitu Jtaliam invasisset, & cum populo Romano aliquamdiu fortiter dimicasset; primos totius Jtaliæ populos Brutios ad Hannibalem defecisse. sed cùm superatus Hannibal, Jtaliâ excedere cogeretur superatiq; Pœni essent; bonô atq; utili exemplô, Senatum Populumq; Romanum in Brutios animadvertisse, ut nunquam deinde pro sociis populi Romani haberentur: & ignominiæ causâ, Magistratibus Romanis in Provincias euntibus, ac veluti mancipia quædam vilissima serviliter ministrarent. Jtaq; ii sequebantur Magistratus, tanquam in scenicis fabulis, qui dicebantur Lorarii, & quos jussi erant, vinciebant aut verberabant.* Hucusq; Gellius.

An Brutii, flagellatores Christi?

Cardinalis tamen Baronius ad Annum Christi 34, à Brutianis, Christum fuisse flagellatum, asserere non audet. Nam alicubi, ut in Ægypto, diversorum id erat munus: siquidem honoris causâ, qui erant Alexandrini, non à prædictis Præsidum lictori-

lictoribus; sed tantùm ab Alexandrinis cædebantur. Cæteri autem Ægiptii, à communibus Præsidum apparitoribus, hisce pœnis afficiebantur. Ut testatur Philo Judæus doctissimus libro in Flaccum. verbis his. *Est in illa urbe Alexandrina flagrorum differentia, pro eorum conditione, qui cæduntur. aliter Ægiptii flagellantur ab aliis. Alexandrini verò virgîs cæduntur ab Alexandrinis lictoribus, quos vocant Spathephoros. Hunc morem & in nostris hominibus servârunt superiores Præsides, & ipse quoq; Flaccus, primis Magistratûs sui temporibus.* Tertullianus item libro de Corona militis. indicat, munus puniendi sontes, promiscuè à militibus obitum; dum dissvadens homini Christiano ne militet, hæc ait. *Et vincula, & carcerem, & tormenta, & supplicia administrabit, nec suarum ultor injuriarum.* Hinc & Evangelistæ Matth: 27. & Joan: 19. eos qui flagellârunt & excarnificârunt Christum, absolutè appellârunt *milites*, sed utrum Milites Christum crucifixerunt, infra iniquiretur.

88. *Respondetur jam ad secundam quæsiti partem.* Quidam asserunt, fuisse sex, qui Christum flagellârunt usq; ad defatigationem: dicuntq; id doceri à Sanctis Patribus Chrysostomo & Hieronymo. Verùm (ut notat Pater Salmeron) cum certa prædictorum Patrum testimonia non depromant, videtur ideo potiùs, hoc ad piam quorundam fidelium meditationem spectare, quàm ad solidæ Historiæ narrationem. Magdalena de Pazis, Sanctimonialis Florentina, sanctitate & revelationibûs celebris, in exstasi cognovit, Christum à triginta paribus hominum, id est à sexaginta ministris fuisse flagellatum, cùm alii aliis, novi recentesq; succederent. Ita legitur in ejus Vita. Parte sexta. pag. 532. Et addit Pater Cornelius à Lapide: quæ si simpliciter, ut sonant, accipiantur, mira & horrenda sunt.

Ad tertiam partem quæsiti Respondetur. Christum D. flagellatum fuisse in prætorio, congregata enim erat in eo universa cohors, quæ (ut plurimi asserunt) continebat milites mille ducentos quinquaginta. Legitur enim Matth. 27. *Milites Præsidis, suscipientes JESUM in prætorium, congregaverunt ad eum*

univer-

univerſam cohortem. illius nempe ſpectandi, & ampliùs deridendi, dehoneſtandiq; causâ.

Atrocitas flagellationis Christi.

89. *Quæritur 6tò. Quantusnam numerus plagarum inflictus eſt Chriſto D. in flagellatione?*

Ludovicus Granatenſis, Sacri Ordinis Prædicatorum Theologus Celeberrimus, (qui Annô ſalutis 1588, ætatis ſuæ 84, vivere in terris deſiit) in ſuis quartæ feriæ meditationibus tradit, fuiſſe revelatum, ictuum illorum numerum perveniſſe ferè ad quingentos ſupra quinq; millia. Iam autem Alphonſus Horozquus in declaratione vigeſima quarta, dicit, perveniſſe ad numerum 15370. Ludolphus Carthuſianus in Vita Chriſti, aſſerit, cuidam Servæ Dei revelatum, 15490. vulnera, ſive ictus fuiſſe. Pater Alphonſus Salmeron (quantæ is Auctoritatis. Vide ſuprà; in Prologo) recenſitâ prædictorum Auctorum reſponſione, in Tomo ſuo 10, in Tractatu 29. dicit. Revera hæc magis ex religione & pietate excogitata ſunt, quàm ſint certa & explorata. Veriſimile non eſt, Pilatum permiſſurum fuiſſe miniſtros, ut ſic ſævirent in Jeſum, quia deſiderabat à Judæis Eum vivum eripere: aſt quam, quæſo vitam habere potuiſſet, ſi tantô numerô flagellorum, flagellatus fuiſſet? Nec cogimur ad hanc ſententiam tuendam, dicendo, Chriſtum tanta flagella, virtute divina & miraculô, ferre voluiſſe, quô nos magìs ſibi obſtringeret, & ſuô exemplô ad patientiam provocaret: nam ſemper ſenſus Scripturæ (cæteris paribus) qui miraculum non ponit, præferendus eſt ei, qui ponit, juxta regulam à Sancto Auguſtino in lib. 1. de Doctrina Chriſti. traditam.]

Pater verò Franciſcus Suarez, Magnitudinis Primæ Theologus in 3. p. quæſtione. 46. Artic. 8. Diſput. 35. Sectione 2da cui titulus. *Quoties, & quàm acerbè flagellatus ſit Chriſtus?* Reſpondet. [De numero plagarum, nihil invenio ab antiquis Patribus ſcriptum: multi tamen ſcriptores, præſertim ex recentioribus, affirmant fuiſſe ultra quinque millia. Et quidam referunt, fuiſſe hoc revelatum cuidam fæminæ: tamen neque

hujuſ-

hujusmodi revelationes fæminarum cogunt nos, ut eas veras " esse credamus: neque ibi dicitur, plagas flagellorum, sed vul- " nera passionis, eum numerum excessisse. Itaq; hæc res incer- " ta est. Et quantus fuit numerus, affirmare non possumus, " quia neque in Evangelio habetur, neq; in Scriptura, neq; à " Sanctis Patribus est traditus.] Hæc, virtute & scientiâ eminentissimus, Franciscus Suarez *Doctor eximius*, quô elogiô honoravit eum Paulus V. in quaternis ad ipsum datis literis.

Pater item Theophilus Raynaudus Tomo 13. in lib. *de stigmatismo sacro & profano.* ait [Tanta numerositas ictuum (de qua superiùs actum) absq; idoneo fundamento affirmatur, & Christo haud dubiè mortem intulisset, contra mentem Pilati, & Ministrorum, imò & Judæorum: probrosæ enim simul ac crudeli morti crucis, Christum reservatum volebant.] Horum trium, imò & aliorum similium Theologorum responsio, infundata sat validis rationibus, videtur mihi probabilissima. Unde etiam constat, quid censeam de eo, quod Homil: 50. de Passione Domini scribit Lanspergius; revelatione divina nempe fuisse cognitum, Sangvinis Christi guttas, flagellìs elicitas, fuisse supra ducenta & triginta millia: & Vulnera Christi ex multiplici flagellatione, inflicta fuisse quinq; millia, quadringenta & sexaginta.

90. *Quæritur 7mò. Quàm acerba fuerit flagellatio Christi D.?*

Respondetur. Id inter alia cognosci posse ex his. *1.* Ex eo, quòd Virgineum atq; innocentissimum Corpus Christi D. fuit optimæ, delicatissimæ complexionis, & sensûs tactûsq; acutissimi, utpote à Spiritu S. formatum, ideoq; longè acerbiùs sensit flagellorum ictus, quàm corpus ullius puri hominis illos ictus sensisset. *2.* Quia ipsemet Christus D. & Prophetæ in ejusdem Persona, prædixerunt flagellationem hanc, velut gravem & acerbam. Matthæi cap. 20. *Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & scribis, & condemnabunt Eum morte, & tradent Eum gentibus ad illudendum & ad*

flagellandum & crucifigendum. Et, Pſal. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Pſal. 72. *Fui flagllatus tota die.* Quod nonnulli non incongruè explicant ſic: tam crudeliter, acſi tota ferè die, eſſem flagellatus. Legitur item Pſal. 128. *Super dorſum meum fabricaverunt peccatores.* Vel ut alii legunt ex Hebraico textu. *Araverunt aratores dorſum meum.* Job. cap. 16. *Concidit me vulnere ſuper vulnus.* 3tiò colligitur ex eo: quia hæc verberatio, juſſu Pilati inflicta fuit eo fine, ut eſſet totius accuſationis integra pœna, Judæiq; majorem non exigerent. Auxit inſuper plurimùm acerbitatem Chriſto ea flagellatio, quòd tunc totus denudatus fuerit coram impuriſſimis nebulonibus & ſcurris.

Solet etiam ad comprobandam atrocitatem flagellationis afferri auctoritas S. Gregorii Nazianzeni, qui in Carmine de Chriſto Patiente. aſſerit, Chriſtum poſt flagellationem, omni ex parte manâſſe ſanguine: & S. Bernardi, qui Tractatu de Paſſione cap. 3. ait. *Quantum Sanguinem vinculis credimus inhæſiſſe, cùm Dominus flagellatus eſt, ut Sanguis Ejus in aëra reſultaret!* Sancti item Auctoritas Vincentii Ferrerii, qui Serm. 1. de Paraſceve, dicit, primò ſpinîs & vepribûs Chriſtum flagellatum, mox flagellîs aculeatîs, tandem etiam catenîs, in quorum extremitatibus, unci ferrei adhærebant. Incolæ etiam Terræ ſanctæ tradunt, Jeſum flagellatum primò fuiſſe funibûs craſſioribus: 2dò. Funiculîs nodoſis, additis ferreis ſcorpionibus: 3tiò, catenîs. 4tò. Virgîs ſpineîs. Comprobatur item acerbitas flagellationis ex libris S. Brigittæ. & ideo.

91. *Quæritur 8vò. In Libris Revelationum S. Brigittæ, quidnam habetur de flagellatione Chriſti D.?*

Modus flagellationis Chriſti ex Revelationibus S Brigittæ deſumptus.

Reſpondetur. S. Brigitta, modum & atrocitatem Flagellationis Chriſti ex revelatione ipſiuſmet Pretioſiſſimæ Virginis Deiparæ deſcribit. lib. 1. Revelat: cap. 10. verbîs hîs. [*Deinde ductus ad columnam, perſonaliter ſe veſtibus exuit. Perſonaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici ſine miſericordia ligaverunt: alligatus autem, nihil omnino, operimenti habebat, ſed ſicut natus*

eſt,

est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt autem inimici ejus, qui fugientibus amicis suis, undique astabant, & flagellabant corpus ejus, ab omni macula & peccato mundum: ad primum igitur ictum, Ego quæ astabam propinquiùs, cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usq; ad costas, ita, ut costæ ejus viderentur: & quod amariùs erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipsîs flagellîs sulcabantur: cùmq; Filius meus totus Sanguinolentus, & totus sic laceratus stabat, ut in Eo non reperiretur sanitas, nec quid flagellaretur, tunc unus concitato in se spiritu, quæsivit: nunquid interficietis Eum sic injudicatum? & statim secuit vincula ejus: inde Filius meus induit se vestibus suis, & tunc locum, ubi stabant pedes Filii, totum repletum vidi Sanguine, & ex vestigiis Filii mei, cognoscebam incessum ejus, quò enim procedebat, apparebat terra infusa Sanguine. Cutis ejus sic tenera & gracilis erat, ut nunquam ita leniter flagellaretur, quin statim exiret Sanguis. Et lib. 4. Revelat: cap. 70. legitur. [*Deinde jubente lictore, seipsum vestibus exuit, columnam sponte amplectens, reste ligatur, & flagellîs aculeatîs infixîs aculeîs & retractîs non evellendo, sed sulcando totum corpus ejus laceratur. Ad primum igitur ictum, Ego quasi corde percussa, sensibus abducor, & post tempus evigilans, corpus ejus laceratum video: toto enim corpore nudus erat cùm flagellaretur. Tunc unus inimicorum ejus assistentibus lictoribus dicebat: vultis hominem hunc sine judicio occidere? & causam mortis ejus, vestram facere? & hæc dicens, secuit ligamen: & jam solutus Filius meus à Columna, primùm ad vestimenta sua se convertit. vestigia ejus in quibus ad-columnam stetit, plena erant Sanguine: taliterq; Ego bene poteram omnia vestigia ejus, signô Sangvinis agnoscere: qui tunc vultum suum manantem sanguine, tunicâ detersit.*] In eodem Capite 70. Libri 4ti. Relevationum, habentur hæc. *Cùm Christus traheretur ad columnam ut flagellaretur, ita trahitur & impulsivè prosternitur crudeliter, ut concussô capite, dentes colliderentur & ad collum & maxillam percutitur fortiter.*

QUÆSTIO IX.

Respondetur ad varia quæsita concernentia Christi D: coronationem Spineâ Coronâ, & varias alias ei illatas illusiones.

92. PRæmitto 1. Sanctus Matthæus cap: 27. ait. *Milites Præsidis* (id est Pilati) *suscipientes JEsum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem* (quotnam milites continet cohors. vide suprà sub quæstione IV. pag: 50. numerô 47.) *& exuentes Eum, chlamydem coccineam circumdederunt Ei. & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput Ejus, & arundinem in dextra Ejus, genu flexo ante Eum, illudebant Ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. & exspuentes in Eum, acceperunt arundinem, & percutiebant Caput Ejus.* Idem ferè totidem verbis refert S. Marcus capite 15. S. Lucas de his nullum verbum habet. S. verò Joannes, qui post omnes priores tres Evangelistas, scripsit Evangelium cap. 19 dicit. *Apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit: & milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti Ejus & veste purpurea circumdederunt Eum, & veniebant ad Eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum. & dabant Ei alapas.* Hoc præmisso.

Illusionum Christi quænam Causa?

Quæritur 1. Quisnam fuit auctor harum illusionum, Christo D. illatarum? S. Chrysostomus Tomô 2. Homiliâ 88. in Matth: respondet. opus hoc fuisse dæmonis, vel militum Romanorum, volentium more sui Domini Pilati, gratificari Judæis. *Quasi omnes* (inquit ille) *ex composito convenissent, ita signô datô ad choream, omnes diabolus concitabat: nam etsi possumus invidiæ tabe existimare, ad insaniam Judæos concitatos fuisse: tamen qua de causa moti fuerint milites, non patet. Diabolus igitur erat, qui universos tunc illos occupavit, voluptatem etenim ex contumeliis, propter*

pter immanitatem suam capiebant; cùm enim oportuisset comprimi potiùs, atq; illacrymari, non solùm hoc non faciebant, verùm etiam è contrario, sicut & plebs ipsa, & vituperabant, & insultabant; Judæis forsan gratificantes, aut suîs utentes moribûs. Tertullianus in libro suo de Corona militis. existimat, ne quidem Judæorum instinctu coronam Christo impositam, sed solâ militum insolentiâ. *Illam impietatis contumeliosæ coronam* (inquit ille) *populus non conscivit, Romanorum militum commentum fuit, ex usu rei sæcularis.* Rectè dicit *ex usu rei sæcularis.* Solebant enim Reges inaugurari coronâ, purpurâ, sceptrô, faustîs acclamationibus, perhonorificîs salutationibûs. ut legitur 4rtò Regum cap. 11. & apud Josephum lib. 14. Antiquitatum. cap. 5. & apud alios. S. Augustinus Tractatu 106. in Joannem. ait. *Pilatus aut permisit hæc facere, aut jussit.* & S. Leo Sermone 10. de Passione. inquit. *Dominum Jesum diversîs contumeliîs affici Pilatus aut permisit, aut jussit.* Certè, Pilato non displicuisse hoc ludibrium, vel inde constat: quòd Jesum ludicrô regalî hoc habitu indutum, Judæis spectandum produxerit. *Exivit JESUS* (ait S. Joannes cap: 19.) *portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & dicit eis* (Pilatus) *Ecce Homo.*

93. *Quæritur 2. Cur Christus D. spinîs coronatus, & sic illusus?* Respondetur. ideo id factum. Quia milites ex falsis Judæorum accusationibus, intellexerunt, quòd Christus se pro Rege Judæorum venditaverit: audierunt item (fortè & viderunt) quòd ante quinq; dies, ingressus fuerit Jerosolymam, sedens super asinam, turbîs acclamantibûs. *Hosanna Filio David. benedictus in Nomine Domini, Rex Israël.* Joannis 12. ludum ut cùm Rege instituerunt; locò throni regalis, Eum in altum sustulerunt; testatur enim Clemens Alexandrinus (qui floruit Annô Christi 200.) libro 2. Pædagogi. cap: 8. *Jesum in altum elevatum, coronâ redimitum esse.* scilicet elevaverunt in locum aliquem eminentiorem Prætorii, vel super scuta & clypeos, & pro corona aurea, spineam ei imposuerunt: pro regali purpura, chlamydem: locò sceptri, dederunt calamum seu arundinem; in signum re-

verentiæ Regi taliter inaugurato, erant genu flexiones & salutationes merè ridiculæ, fætida sputa conjecta in ejus Sacratissimam faciem, in quam Angeli desiderant aspicere; alapæ impactæ, verbera arundine inflicta Ejus summè venerando Capiti. Hæc milites faciebant instigante dæmone, irrisionis causà, ut scilicet Christum, quasi falsum Regem Judæorum illuderent, simulq; Eum ut dolore ac dedecore afficerent: sed ex parte Dei & Christi hæc patientissimè tolerantis, multa mysteria Sancti Patres considerant, ex quibus, S. Hieronymus in Matthæi cap. 27. dicit. *Nos hæc intelligamus mysticè, in chlamyde coccinea, opera gentium cruenta sustentat: in corona spinea, maledictum solvit antiquum: spinas & tribulos germinabit tibi. Genes: 3. in calamo, seu arundine, venenata occidit animalia.* Divus etiam Athanasius, Sermone de Passione & Cruce Domini. inquit. *Dæmon ignoranter dedit Christo gladium contra se, quia arundo serpentibus lethalis esse dicitur.* Idemq; Sanctus Pater, ideo etiam Christum spinis coronatum dicit. Ut nostras spinas, id est solicitudines in se suspiciens, curaret. S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus (qui floruit Annô Christi 360.) in sua Catechesi 13. *Mysterium* (inquit) *erat corona, solutio enim erat peccatorum, dissolutio autem maledictionis: Accepit Sententiam Adam. Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos adferet tibi. propterea JESUS accepit spinas, ut solvat hanc maledictionem.* S. Ambrosius in cap. 22. Lucæ, *Arundo* (ait) *comprehenditur manu Christi, ut humana fragilitas, jam non sicut arundo moveatur à vento, sed operibus Christi corroborata firmetur: Vel secundùm Marcum, Caput ejus percutit, ut solidata Divinitatis attactu nostra conditio, nutare non possit.*

Coronationis Christi acerbitas.

94. *Quæritur 3. Qualis fuit illa corona, & quales spinæ, ex quibus erat contexta?*

Respondeo. Communior est sententia, quòd fuerit ex junco marino, cujus acumina sunt quasi spinæ longissimæ & acutissimæ. Et hanc Sententiam tenet S. Gregorius Turonensis. lib. 1. de Gloria Martyrum. & Lyranus in cap. 27. Matth. dicit *Ex juncis marinis ad modum spinarum acutis, fuit Corona Christi. Et*

ego qui hæc scripsi, à quodam audivi qui fuerat ultra mare cùm Beato Ludovico Rege Franciæ, quòd in littore maris, senserat puncturas juncorum per sotulares intermedias. idem sentit Card: Toletus, Pererius & alii: videnturq; id indicare spinæ illæ, quæ in Ecclesia asservantur. ut dicit Magnus Suarez. Guilielmus Durantes Episcopus Nimatensis. Libro 6to. Rationalis Divinorum officiorum cap. de Parasceve. asserit, se oculis suis vidisse in thesauro Regis Francorum Coronam hanc, è juncis marinis contextam.

Petrus Bellonius lib. 2. observat: cap. 88. opinatur, Coronam hanc fuisse ex rhamno. In hanc opinionem propendet Pater Jacobus Gretserus lib. 1. de S. Cruce. capite 12. *Rhamnus est plena sentibus & hericio similis.* ut dicit S. Hieronymus in cap. 3. Abacuc. estq; ut idem Sanctus notat in cap. 2. Aggæi. *Spinosus frutex & arbuscula sentibus uncinisq; contexta, quæ tenet quidquid attigerit & retentum vulnerat, & vulneratorum sanguine delectatur.* Pater Cornelius à Lapide in cap. 27. Matth. dicit. [Fortè in illa corona spinæ junci, spinis rhamni intertextæ fuêre. Vidi duas, spineæ hujus Christi coronæ spinas, Romæ, quas S. Helena ex Jerusalem, Romam in Basilicam S. Crucis transtulit: sunt illæ longæ & acutæ instar crassarum acicularum.] Cardinalis Baronius ad Annum Christi 34. num. 86. firmiter asserit, coronam illam fuisse ex spinis veris, verèq; ac propriè dictis. Idem præter alios cum Baronio sentit F. Daniel Mallonius. De numero verò spinarū nihil Scriptura aut SS. Patres de hoc mysterio tractātes tradunt: Recentiores nonnulli affirmant fuisse duas & septuaginta; alii plures: alii pauciores. sed hæc res incerta est: id certum, satìs multas fuisse spinas, si quidem ex illis, integra corona, instar regiæ, fuit contexta, quæ totum Christi caput ambiret.

95. *Quæritur 4. Quantam acerbitatam Christus D. sensit ex coronatione illa?*

Respondetur ipsissimîs Sanctissimæ Deiparæ verbîs, quæ habentur in lib. 4to. Revelat: S. Brigittæ cap. 70. *Corona spinea*

Capiti,

Capiti ejus arctiſſimè impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimîs rivîs Sangvinis, ex aculeis infixis, decurrentibus per faciem ejus, & crines, & oculos, & barbam replentibus: ut quaſi nihil, niſi ſanguis totum videretur; nec ipſe me adſtantem ad Crucem videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem. Poteſt item acerbitas coronationis colligi ex eo. Tum quia S. Bernardus Tractatu de Paſſione Domini. ait. *Corona illa, mille puncturîs ſpecioſum Caput Ejus divulneravit.* Tum quia ſpinæ erant acutiſſimæ, infixæ capiti & cerebro, in quo eſt omnium nervorum, ſenſuum ac ſenſationum origo.

Chlamys coccinea idemne quod Veſtis purpurea?

96. *Nota 1.* Ex eo quòd S. Matthæus dicit: *Chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Sanctus verò Joannes ait. *Veſte purpurea circumdederunt Eum.* Hinc S. Ambroſius, S. Lucæ caput 23. explicando, exiſtimavit duas fuiſſe veſtes diverſas, tunicam nempe purpuream, & deniq; chlamydem coccineam. Verùm meliùs S. Athanaſius Serm: de Cruce & Paſſione. S. Auguſtinus, Euthymius, Cardinalis Toletus, & Baromius, Gretſerus & communior opinio cenſet, fuiſſe unam eandemq; veſtem; quia color coccineus ſimillimus eſt purpureo, unde ſubinde purpureus vocatur. Hæc chlamys (ut notat Cornelius à Lapide cum aliis) videtur fuiſſe vilis, & detrita militis alicujus Romani.

Sentes Coronæ ſpineæ apparent miraculosè, viri des.

97. *Nota 2dò.* S. Gregorius Turonenſis lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 7mo. de ſpinis Chriſti D. ſcribit hæc. *Ferunt, ipſas coronæ ſentes, quaſi virides apparere, quæ tamen ſi videantur aruiſſe, foliîs quotidie tamen revireſcere virtute divina.* Gilbertus Genebrardus, Archiepiſcopus Aquenſis, lib. 4to. ſuæ Chronologiæ inquit [S. Ludovicus Rex Galliæ, cum aliis pretioſiſſimis Chriſti reliquiis redemit à Græcis coronam Chriſti ſpineam, eamq; Lutetiam Pariſiorum aſportari præcepit, cui ipſe obviam comitantibus Epiſcopis & Regni Proceribus, venit, multis cum lacrymis & ſuſpiriis, nudis pedibus affluente undiq; & in genua procumbente populo.] Nunc religiosè hæc Corona colitur in Capella Sancta, Pariſiis. ut refert S. Antoninus Archiepiſcopus

S. Ludovicus Rex cum honore recepit ſpineam Coronam.

Floren-

Florentinus, Est item undecima die Augusti, Parisiis Festum Susceptionis Sacræ Spineæ Coronæ per S. Ludovicum Regem. Nec non in Episcopatu Ratisponensi 4tus dies Maji, Coronæ Dominicæ festus est. *Coronæ spineæ festum.*

98. *Nota 3tiò.* Guilhelmus Archiepiscopus Tyri (inde dictus, Tyrius. florebat Annô Christi 1180.) asserit in sua Historia de Bello Sacro, lib: 8. cap. 5. & lib. 9. cap. 9. quòd Godefridus Bullonius captâ à Christianis Jerosolymâ, noluit coronari Coronâ aureâ, dicens: Non decet Regem Christianorum, coronâ aureâ insigniri in illa Urbe, in qua Christus Dominus gestavit spineam. *Bullonius Rex noluit coronari aureâ coronâ.*

99. *Nota 4tò.* Coronæ Sacerdotum & Clericorum rasæ, repræsentant inter alia, spineam Coronam Christi. Unde S. Beda lib. 5. Historiæ. cap. 22. ait. *Nos Passionis Domini signum in vertice gestamus, neq; ob id tantùm in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus fuit; & nos qui per eandem Passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summâ videlicet corporis nostri parte, gestamus.* Et S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus (qui nonagenarius mortuus est Annô Domini 730.) *Tonsura capitis* (inquit in Theoria rerum Ecclesiast:) *vice coronæ est spineæ. Divus Petrus missus ad prædicandum attonsus est à non credentibus, ut illuderetur, sed Christus infamiam in honorem convertit.* *Coronæ Sacerdotum rasæ spineam Christi coronam referūt.*

QUÆSTIO X.

Quidnam cum Christo D. actum est post flagellationem ac coronationem & illusiones, in superiore immediatè Quæstione recensitas?

 100: *Re-*

100. R*Eſpondetur 1.* Verbis S. Joannis. cap. 19. [Exivit ite-
" rum Pilatus foràs, & dicit eis. Ecce adduco Eum vo-
" bis foràs, ut cognoſcatis, quia in Eo nullam invenio
" cauſam: Exivit ergo JEſus portans coronam ſpineam & pur-
" pureum veſtimentum. Et dicit eis. Ecce Homo. Cùm ergo
" vidiſſent Eum Pontifices & miniſtri, clamabant, dicentes:
" crucifige, crucifige Eum. Dicit eis Pilatus. Accipite Eum vos
" & crucifigite: ego enim non invenio in Eo cauſam. Reſpon-
" derunt ei Judæi: Nos legem habemus, & ſecundùm legem
" debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Cùm ergo audiſſet Pi-
" latus hunc ſermonem, magìs timuit, & ingreſſus eſt prætorium
" iterum, & dicit ad JEſum. Unde es Tu? JEſus autem reſpon-
" ſum non dedit ei. dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris?
" neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere Te, & poteſtatem
" habeo dimittere Te? Reſpondit JEſus. Non haberes poteſta-
" tem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Pro-
" pterea qui me tradidit Tibi, majus peccatum habet. Et exinde
" quærebat Pilatus dimittere Eum, Judæi autem clamabant, di-
" centes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis e-
" nim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem
" cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foràs JEſum, & ſedit pro
" Tribunali, in loco qui dicitur Litoſtratos, Hebraicè autem
" Gabatha. Erat autem Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta, &
" dicit Judæìs: Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle,
" tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum cru-
" cifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus Regem,
" niſi Cæſarem. Tunc ergo tradidit eis Illum, ut crucifigere-
" tur, Suſceperunt autem JESUM, & eduxerunt. Et bajulans
" ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.]

Nota hic 1. Multa ex his quæ nunc relata ſunt ex S. Joanne, reticuit S. Matthæus, ideoq; ſupplevit S. Joannes.

101. *Nota 2.* Ut Judæi commoverentur ad commiſerationem, dixit Pilatus. *Ecce Homo.* Eleganter ſuper hæc verba diſſerit S. Auguſtinus in Tractatu 116. in Joannem. inquiens.

Ecce

Ecce homo, non clarus imperiô, sed plenus opprobriô. Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis: flagellatus est, spinîs coronatus est, ludibriosâ veste amictus est, amarîs convitiîs illusus est, alapîs cæsus est: fervet ignominia, frigescat invidia sed non frigescit, inardescit potiùs, & increscit.

102. *Nota 3.* Ex Patre Suarez in 3. p. q. 46. artic: 8. Disput: 36. sect: 1. Nomine *potestatis*, intelligi potest vel facultas seu vis ad interficiendum, vel jurisdictio, vel auctoritas. Priorem potestatem habebat Pilatus in Christum, si solum naturales vires Humanitatis consideremus: nam si Christus voluisset potestate effectrice miraculorum uti, non haberet Pilatus vim interficiendi Christum: & ex hoc capite potest illa potestas dici, permissa potiùs quàm data: quamvis aliunde vis illa & facultas, quam Pilatus habebat per se & suos milites ad occidendum Christum, non solùm permissa, sed data dici potest à Deo, eô modô, quô temporalia bona dantur à Deo per providentiam naturalem, quamvis postea illis homo malè utatur. Ast verò si loquamur de Potestate, ut dicit Jurisdictionem, & Auctoritatem Superioris, hanc dicunt aliqui habuisse Pilatum, non solùm permissam, sed concessam; quia erat Præses, & Dominus se ei subdiderat: nihilominus verò peccâsse, non peccatô usurpatæ jurisdictionis, sed peccatô abutendi jurisdictione sibi datâ. Sed veriùs existimo Pilatum non habuisse talem potestatem in Christum: cùm enim esset DEI Filius, liber erat, nullique potestati humanæ subjectus. Hoc ergo sensu, non potest dici, illi data potestas, sed permissa: quia Christus D. nunquam se illi subdidit jure; id est, volens revera fieri subditus illius, & ut alius haberet jurisdictionem in se. Ubi enim est declarata hæc Christi voluntas, vel quô fundamentô fingi potest? de facto verò permisit se tractari, ut subditum. Hæc Magnus Suarez.

Pilatus an, & qualem potestatem habuit in Christum?

103. *Nota 4tò.* Pilatus judicando & damnando Christum, peccavit contra justitiam. Tum quia nullam potestatem & jurisdictionem habuit in Christum. Tum quia pervertit or-

Pilatus iniquè damnavit Christum.

dinem judiciorum; ceſſit enim tumultui Judæorum, nec Chriſtum D. ob ullum crimen, ſed ob judæorum tumultum, damnavit. Tum quia Chriſtum innocentem damnavit, ne haberetur inimicus Cæſaris, Judæorum tamen peccatum fuit gravius, ut ipſemet Chriſtus aſſeruit. Illi item ex odio peccârunt, Pilatus ex timore, habebantq; majorem cognitionem de Chriſto & de rebus divinis, quàm Pilatus.

Ejus tamen peccatum eſt levius peccatô Judæorum.

104 *Reſpondetur 2dò.* Poſtquam Chriſtus D. à Pilato fuit condemnatus ad mortem, *milites Præſidis* (Pilati) *exuerunt Eum chlamyde, & induerunt Eum veſtimentîs ſuîs, & duxerunt Eum, ut crucifigerent; exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus.* Ita legitur Matth: 27. Lucæ 23. Marci 15.

Nota. Ideo *induerunt Eum veſtimentîs ſuîs*, id eſt propriis. Tum ut eductus JESUS agnoſceretur ab omnibus, & ſubſannaretur ad majorem confuſionem. Tum ut ſibi vendicarent illa veſtimenta, quorum pretio, etſi non grandi, coccinea illa chlamys non erat conferenda, utpote quæ nullius erat pretii. *duxerunt Eum* è prætorio, inſequentibus Centurione cum militibus ſuis, nec non Principibûs Sacerdotum & ſenioribûs populi, cæterisq; inimicîs, multâ etiam turbâ plebis. *Duxerunt* inquam à Prætorio ad montem Calvariæ.

Quantum diſtat Pilati prætorium à monte Calvariæ?

105. Porrò à Prætorio ad locum crucifixionis, Chriſtus D. bajulans Crucem confecit arduos cruentoſq; paſſus mille trecentos viginti unum. Ut annotavit cum pluribus Chriſtianus Adrichomius in deſcriptione Jeruſalem, numerô 118. Vide infra Quæſtionem XIV. de Crucis bajulatione: priùs autem agetur Quæſtionibus tribus de ipſa Chriſti D. Cruce.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Crux Christi Domini, cujusnam figuræ fuit?

106. PRæmitto. Triplex potissimum est sententia de Ligni Crucis figura. *1.* Quidam sentiebant, Crucis unicum tantùm fuisse lignum rude, impolitum ac indolatum, in cujus summitate erigebantur brachia duo, in quibus crucifixæ sunt manus Salvatoris, & Caput mansit pendulum, nulliq; rei innixum: (cujusmodi Crux vocatur à nonnullis *Crux furcata*) Inter autem illa duo brachia, funiculis appensam fuisse asserebant Tabulam, quæ Titulum continebat. Et hanc sententiam cum pluribus multùm probabilem censet noster Venerabilis P. Alphonsus Salmeron Tomô 10. Tractatu 35. *2.* Alii censebant, Crucem Christi Domini similem fuisse majori Latinorum literæ *T.* & Græcorum *Tau*: asserunt enim constitisse eam duobûs lignîs, ita, ut ligno erecto oblongo, alterum lignum brevius in ipso vertice transversim commissum fuerit, sic ut nihil emineret, vocariq; solet Crux ejusmodi *Crux commissa.* *3.* Asseritur, Crucem Christi duplici constitisse lignô, duobus scilicet palis, seu stipitibus, uno rectô & oblongô, altero transversô, eoq; breviore, quod transversum lignum, recto immissum erat non in vertice, sed paulò inferiùs, vertice nimirum seu capitello ligni erecti eminente, vocariq; Crux ejusmodi solet *Crux immissa.* Hîs præmissîs.

107. *Respondeo imò. Ex prædictis tribus Sententiis, probabilior est tertia, quæ asserit, Crucem Christi fuisse Crucem immissam, & quatuor fines, seu quatuor extremitates habuisse.* *Etsi probabile sit Crucē Christi D. fuisse furcatam, vel commissam, tamen longè probabilius est fuisse immissam.*

Probatur Authoritate Patrum. S. Augustinus hanc Crucis formam, quæ hominis extensi figuram repræsentat, sæpè describit ex loco S. Pauli ad Ephesios. cap. 3. versu 18. nominatim Tra-

ctatu 118. in Joannem. & Lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap: 41.
" ubi ait. [Ut Charitate radicati & fundati poſſimus compre-
" hendere cum Omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo,
" & alitudo, & profundum, id eſt Crucem Domini, cujus lati-
" tudo dicitur in traſverſo ligno, quô extenduntur manus: lon-
" gitudo à terra uſq; ad ipſam latitudinem, quô â manibus & in-
" fra totum corpus affigitur. Altitudo à latitudine ſurſum uſq;
" ad Summum, quo adhæret caput. Profundum verò, quod
" terræ infixum abſconditur.] Non abſimilia habet Epiſt: 120.
Et in Pſalmum 103. Sanctus Hieronymus, vel quisquis eſt vetu-
ſtus Author Commentariorum in Marcum, apud S. Hieronymum,
" dicit: [Ipſa ſpecies Crucis, quid eſt, niſi forma quadrata Mun-
" di? Oriens de vertice fulgens: Arcton dextra tenet; Auſter
" in læva conſiſtit: occidens ſub plantis firmatur. Unde Apo-
" ſtolus dicit: Ut ſciamus, quæ ſit latitudo, & longitudo, altitu-
" do & profundum (ad Epheſios 3. ver: 18.) Aves quando volant
" ad æthera, formam Crucis aſſumunt. Homo natans per aquas
" vel orans, formâ Crucis viſitur, Navis per Maria, antennâ
" Cruci ſimilata ſufflatur.] S. Juſtinus Martyr (qui floruit An-
nò Chriſti 150.) in ſua Apologia 2da, ad Jmperatorem Pium, a-
" it: [Conſiderate omnia, quæ in Mundo ſunt, an ſine hoc ſi-
" gno Crucis gubernentur, aut poſſunt præbere ſui uſum, Ma-
" re enim non ſcinditur niſi trophæum iſtud, quod Malus appel-
" latur, ſalvum in navi maneat. Terra non aratur ſine eo, foſ-
" ſores verò opus non abſolvunt, neq; alii item operarii mecha-
" nici, niſi per inſtrumenta, quæ formam hanc referant. aſt hu-
" mana figura non aliâ re à belluis differt, quàm quòd & recta
" ſit, & manum extenſionem habeat, & in facie à fronte proten-
" ſum naſum, per quem & reſpiratio animalibus eſt, neq; aliud
" demonſtrat, quàm Signum hoc Crucis.] Divus Baſilius in ca-
put 11 Jſaiæ. *Crucis* (inquit) *partes, quadrifariam diſpertiun-
tur, ita, ut unaquæq; ſuo annutu, ſimul quatuor ſpectet Mundi par-
tes; ut hac ſignificatione, omnes Mundi partitiones per eas Sanctæ
Crucis partes ad ſalutem rectè diſpenſentur.* S. Damaſcenus Lib. 4tô
de Fi-

de Fide Orthodoxa. Cap: 12. ait. *Quemadmodum quatuor extremæ Crucis partes per medium centrum inter se cohærent, & constringuntur, ita per Dei Potentiam, sublimitas ac longitudo & latitudo, hoc est omnis tam visibilis, quàm invisibilis Creatura continetur.* Hi duo Sancti Patres postremò citati, rationem etiam (ut vides) afferunt, cur Dominica Crux quatuor habuit fines. Sedulius item Presbyter (floruit Annô Christi 430) Lib: 3. Carminum. De quinque mirabilibus operibus Dei. Scripsit.

Neve quis ignoret, speciem Crucis esse colendam,
Quæ Dominum portavit ovans ratione potenti,
Quatuor inde plagas quadrati colligit Orbis.
Splendidus Auctoris de vertice fulget Eous.
Occiduo Sacræ labuntur sydere plantæ:
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.

Nonnus etiam antiquus Græcus Pòéta scribit Christum *sublatum in lignum quadrilaterum.*

Confirmant responsionem datam vetustissimæ, ac plurimæ picturæ, & sculpturæ Crucis Christi Domini. Et quia cùm formamus Crucem Domini manu, formamus eam *Immissam*, non *Commissam*; videturq; Id ipsum constare ex perpetua Ecclesiæ traditione.

108. *Respondeo tamen 2dò. Probabilis est etiam Sententia, asserens, Crucem Christi fuisse furcatam vel etiam fuisse Commissam.*

Ratio 1mæ partis est. Tum quia id expresè traditur in Libro 4to Revelationum S. Brigittæ. cap. 70. ubi legitur: Deiparam dixisse S. Brigittæ: *Erat Crux fixa & brachia ejus elevata ita, ut nodus Crucis inter scapulas esset, nec ullum capiti reclinatorium Crux præbebat, & tabula Tituli utriq; brachio super caput eminenti affixa erat.* Tum quia huic sententiæ favere videtur S. Cyprianus in Carmine illo de signo Crucis, ubi sic ait.

Est Locus ex omni medio quem cernimus Orbe
Golgotha, Judæi patrio cognomine dicunt:
Hìc ergo sterili succisum ex arbore lignum

Plan-

Plantatùm memini fructus genuisse salubres.
Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos.

Ratio 2dæ Partis est. Quia id videntur asserere Patres. Tertullianus enim adversùs Marcionem, Lib. 4. *Ipsa* (inquit) *Litera Græcorum Tau, nostra autem T. species Crucis est.* Et S. Jsidorus in cap. 5. Judicum. *Tau Litera, Speciem Crucis demonstrat.* Item S. Paulinus, Episcopus Nolanus in Epist. ad Sulpitium Severum, Episcopum Bituricensem, S. Martini Discipulum, scripsit. *Christus non multitudine nec virtute legionum, sed jam tunc in Sacramento Crucis, cujus figura per literam Græcam Taù, numerô trecentorum exprimitur, adversarios Principes debellavit.*

Certum est, Crucem Christi D. non fuisse decussatam.

109. *Quæres. Estne etiam Probabile, Crucem Christi fuisse Decùssatam? seu talem, in qua duo ligna directa & æquabilia inter se obliquantur, cujus figuram refert litera X. Respondetur negativè.* Certum enim est, ex consensu totius Christianitatis, & Sanctorum Patrum, Crucem Christi non fuisse ejusmodi. *Neq; Dicas.* Utiq; Sanctus Andreas (ut legitur in Vita Ejus, & in Lectionibus Breviarii de hoc Sancto, 30. Novembris) Cùm vidisset Crucem sibi fixam, allocutus est eam sic. *O. bona Crùx! quæ decorem de membris Domini suscepisti, redde me Magistro meo, ut per Te me recipiat, qui per Te me redimit. Suscipe Discipulum ejus, qui pependit in Te Magister meus.* Porrò Crux S Andreæ fuit Decussata. *Respondetur* enim cum P. Gretsero & aliis. Non esse necesse, ut figura sit quò ad omnia similis ei, quod per eam significatur. Et rectè dixit S. Andreas, Crucem suam alloquens. *per te me redemit*: Nam Crux, quam sibi paratam videbat, generali saltem notione cum Cruce Domini conveniebat, ideoq; Crux Divi Andreæ, quodammodo erat Crux Christi.

110 *Nota.* Sozomenus Lib: 7. Ecclesiasticæ Historiæ Cap. 15. habet hæc: [Ajunt, Templô Sarapidis dirutô & disjectô, quasdam ex iis, quas vocant Hieroglyphicas notas, similes signo Crucis inscriptas Lapidibus, apparuisse: ab iis autem qui docti, hæc talia, explicatam eam notam significare *Vitam venturam.*]

Suidas

Suidas etiam in Historia sua. lib: 7. ait. [Theodosio Magno regnante, cùm fana Gentilium diruerentur, inventæ sunt in Serapidis Templo, Hieroglyphicæ literæ, habentes Crucis formas: quas videntes ii Gentilium, qui Christo addicti erant, ajebant significare Crucem apud peritos Hieroglyphicorum notarum, *Vitam venturam*.

QUÆSTIO XII.

Crux Christi ex quonam Ligno fuit?

111. RE*spondent 1* Nonnulli, ex quatuor Lignis nobilissimis confectam fuisse. nempe Cedro, Cupresso, Palma, & Oliva, unde Carmen illud. ***Probabiles Sententiæ recensentur de Materia Crucis Christi D.***

Ligna Crucis, Palma, Cedrus, Cupressus, Oliva. Carmen hoc citat Glossa in Clement: 1. de Summa Trinitate. Quod item antiquis versiculis his comprehensum est.

Quatuor ex lignis, Domini Crux dicitur esse.
Pes Crucis, est Cedrus: Corpus tenet alta Cupressus.
Palma, manus retinet. Titulô lætatur Oliva.

Sanctus item, & Venerabilis Beda, Eruditione Celeberrimus & Sanctitate. (vide Cardinalis Baronii Notas in Martyrol. ad diem 27. Maji) Tomô 3. in suis Excerptis & Collectaneis. dicit. *Crux Domini de quatuor lignis facta est, quæ vocantur, Cupressus, Cedrus, Pinus, & Buxus; sed Buxus non fuit in Cruce, nisi tabula de illo ligno super frontem Christi fuit, in qua scripserunt Judæi Titulum. Cupressus fuit in terra usq; ad tabulam: Cedrus in transversum, Pinus sursum.* Idem videtur sensisse, quantùm spectat ad ipsa Crucis. ligna, S. Chrysostomus in Oratione de Veneratione Crucis. Nec non Anastasius Patriarcha Antiochenus; imò & Joannes Cantacuzenus Imperator Constãtinopolitanus in Assert: cõtra Machomet.

112. *Respondet 2dò.* Alphonsus Cyacco, Lib: de signis

Sanctiſſimæ Crucis. cap: 30. Salvatoris Crucem factam fuiſſe ex quercu. Idem tenet Eruditiſſimus Lipſius, & communiter alii. Probariq; ſolet hæc Reſponſio ex eo: Quia hac arbore, nulla magis obvia in Judæa fuit, & nunc quoq; eſt. Eſt item hoc lignum, fixuræ peridoneum, utpote firmum ac ſolidum: unde & roboris nomen, quercui inditum: vixq; præterea quercu, quid annoſius, & perennius: quare cùm Crucis particulæ & fragmenta etiam nunc ſine carie perſeverent, hinc apparet, ex quercu Crucem fabricatam.

Ego Reſpondeo, prædictas ſententias eſſe probabiles. *Primam quidem* ob Patrum citatorum Authoritatem: aliàs, ſi hæc deeſſet, non foret veriſimile (ut dicit P. Salmeron) Judæos tam pretioſam materiam lignorum, Chriſti neci deſignâſſe: Cùm in reliquis, Animi ſui acerbitatem & odium indicârint: Imò Lipſius Lib: 3. de Cruce. ait. Capite 13. *Quòd ſuperioris ævi Scriptores, tria aut 4tuor genera ligni, in Cruce Dominica agnoſcunt, curiosè magis dictum arbitramur, quàm verè.*

Secunda Sententia eſt probabilis ob rationes, ſuprà adductas, quæ ſunt probabiles quidem, ſed non convictivæ: ut ſat clarè & fusè oſtendit P. Gretſerus Lib. 1. de Cruce Cap. 6.

Neq; dicas cum Alphonſo Cyaccone. Particulæ Crucis, quæ hactenus multis in locis aſſervantur, & religiosè coluntur, cum ligno quercino, formâ omnino conveniunt, út proinde minimè videatur dubitandum, ex hac materia Crucem Domini fuiſſe factam.

Reſpondet enim P. Gretſerus [Vidimus (inquit) & nos in Templo S. Michàélis, Monachii, non modò particulas, ſed & partes Sãctæ Crucis, eaſq; attentè, adhibitis etiam aliis, inſpeximus: utrum tandem illam tantam Cyacconis ſimilitudinem inter Crucem & Lignum quernum deprehendere liceret. Sed quò diutiùs Sacratiſſimi illius ligni partes intuiti ſumus, eò minùs Cyacconi aſſenſi ſumus. Et certè proculdubiò, Crucis particulas viderunt S. Chryſoſtomus & S. Beda, aliiq;; & tamen illam tantum ſimilitudinem cum quercu, quam animadvertit Cyacco, advertere non potuerunt.]

113\. *Nota.* Gotefridus Viterbiensis, Notarius Conradi 3. & Friderici 1. Imperatorum, scripsit Chronicon Universale, in partes viginti divisum, illudq; dedicavit Urbano III. Summo Pontifici. Is ergo Gotefridus in sui Chronici parte 14. refert, quorundam opinionem hanc, quòd scilicet, *Filius Nöé cui Nomen Hionto, in paradisum intromissus, surculos palmæ, abietis, & Cupressi decerpserit, variisq; in locis plantaverit, ex quibus mirabili modô in unum concretis, exstiterit arbor trium illarum naturam referens: ex qua postea Crux Domini sit comparata.* Petrus item Comestor, qui & Magister Historiæ Scholasticæ vocatur, eò quòd Historiam Sacram sexdecem libris contentam scripserit circa Annum Christi 1150. Is ergo in Historia Scholastica in Lib. 3. Regum, cap: 26. refert, asseruisse nonnullos. *De ligno, quod transeuntibus per torrentem Cedron, pontis loco erat, à Regina Sabæ ad Salomonem veniente, prædictum, fore tempus, ut in eo suspenderetur, qui Salomonẽ Sapientiâ & intelligendi acumine longè antecederet, & cujus mors, exitium Judæorum Regno adferret: hocq; vaticiniô motum Salomonem, lignum eo in loco defodisse, ubi postmodum facta sit Probatica piscina (de qua legitur Joan: cap 5.) & sub ipsum Passionis Dominicæ tempus, lignum illud tot annorum centuriis sepultum, ex profundo emersisse, & à Judæis, in Crucem Christo efformatum, & concinnatum esse.*

Referuntur Sententiæ non probabiles de materia Crucis.

Assertiones prædictæ duæ, vel opiniones, siquidem (præter alia) nulli testimonio antiquorum Patrum, vel gravium Historicorum, nec ulli rationi probabili innituntur, ideo à plurimis gravissimis Scriptoribus, non immeritò repudiantur.

QUÆSTIO XIII.

Quantæ magnitudinis fuit Crux Christi? Item. In Cruce Christi fuitne aliquod lignũ suppedaneũ?

Crucis magnitudo.

114. **R**Eſpondeo imò Iuxta Traditionem Antiquam, Crux Chriſti fuit longa, 15. pedes, lata octo: ſeu quod idem, Crucis erectum lignum, fuit 15, tranſverſum verò lignum, fuit octo pedum: vel ut alii dicunt, palmorum. Cui perſvaſioni, tempore & publico conſenſu corroboratæ & inveteratæ, non videtur contradicendum. ut bene monet P. Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 7. Cùm præſertim nihil ſolidi in contra hucuſq; propoſitum fuerit.

Probabile eſt, fuiſſe in ea ſuppedaneum.

115. *Reſpondeo 2dò. Multùm probabile eſt, In Cruce Chriſti D. fuiſſe aliquod Lignum ſuppedaneum, Aſſerculum ſcilicet, ſeu tabellam, in qua ſimul infixi & innixi ſunt Sacratiſſimi pedes Chriſti Domini.*

Ratio deſumitur ex Authoritate Patrum. Sanctus enim Gregorius, Turonenſis Epiſcopus, Lib: de Gloria Martyrum. Cap: 6. dicit. *In ſtipite recto Crucis, foramen factum, manifeſtum eſt: pes quoq; parvæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt, ſuper hanc verò tabulam, tanquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ.* Et longè ipſo antiquior S. Jrenæus, Epiſcopus Lugdunenſis & Martyr, Apoſtolicorum temporum vicinus (floruit enim Annô Chriſti 170.) Lib. 2. cap. 42. ſcripſit: *Figura Crucis, fines & Summitates habet quinque. Duas in longitudinem; duas in latitudinem, unam in medio, in qua quieſcit, qui clavis affigitur:* Sanctus item Juſtinus Philoſophus & Martyr (qui floruit Annô Chriſti 150.) In dialogo cum Tryphone Judæo, Epheſi habito, explicans paginâ 70 prophetiam de unicorni, contentam in Libro Deuteronomii. cap. 33. verſu 17. eam de Cruce Chriſti ſic interpretatur. *Unicornis cornua alteri rei aut figuræ haud quiſquam ſimilia dixerit, aut oſtenderit, quàm illi, quæ Crucem refert. Rectum enim eſt, unum Lignum* (in Cruce ſcilicet) *à quo eſt ſuprema pars in cornu ſublata; Cui alterum Lignum aptatum eſt, & utrumq; tanquam cornua, illi unicornu adjuncta extrema apparent, & illud in medio defixum, & ipſum tanquam cornu eminet, in quo requieſcunt & innituntur crucifixi.* Licèt verò hoc Lignum in medio defixum eſſet planum, utpote tabula, in qua Crucifixi

pedes

pedes fixi inſiſterent; tamen quia eminebat, appellatur *cornu* à Divo Juſtino. Hanc Sententiam de ſuppedaneo, tenet præter alios, P. Alphonſus Salmeron. Tomô 10. Tractatu 35. Eamq; etiam ex eo probat. [Tum quia (inquit) difficilè eſt conjicere, qua ratione duo pedes ſtantis, uno clavo commodè configi poſſent. Tum quia id antiquæ picturæ & imagines Crucifixi comprobant, ut ſtatua Crucifixi per Nicodemum condita, quæ habetur Lucæ in Civitate Jtaliæ; & Imago Crucifixi argentea, quæ habetur Romæ apud Sanctum Petrum. Et Crucifixus ille apud Sanctum Joannem Lateranenſem, & alter Lovanii in Eccleſia Sancti Michàëlis, & alter in Eccleſia Burgenſi in Hiſpania, & per multi alii in variis Provinciis.] Poſſet addi; quòd in Monaſterio Làëtienſi in Hannonia aſſervetur antiquiſſimus aureus nummus, in quo exprimitur illud ſuppedaneum, ut refert Lipſius in ſuis Notis ad Libri 2di, de Cruce. cap. 10. Ipſe tamen Lipſius negat fuiſſe hoc ſuppedaneum, eò, *quòd* (inquit ille) *accurata ea fabrica, imò delicata ſit.* Negat item Cornelius à Lapide, ex eo: quòd Chriſtus in Cruce non ſtetit, ſed ſuſpenſus pependit; ut legitur Actorum 5, verſu 20. minùs tamen incommodè cenſent alii (inquit idem Cornelius) Crucem ad pedes Chriſti fuiſſe excavatam, ut calcibûs pedum ejus in cavo receptîs: pedes non incurvi, ſed erecti & extenſi penderent in Cruce.

QUÆSTIO XIV.

Cum Chriſto Domino in ſimulnc portavit Crucem Simon Cyrenæus?

116. PRæmitto. Baſilides & Marcion hæreſiarchæ, inter alios ſuos errores neſandos, docuerunt (ut refert Tertull: Lib: de Præſcript: cap: 46. & Lib: 5. contra Marcionem: Nec non Sanctus Auguſtinus Lib: de Hæreſ: & alii), quòd Chri- *Baſilidis & Marcionis delirium.*

 ſtus

ſtus Dominus ita perſtrinxerit oculos Judæorum, ut relicto Simone, quem in ſuam Speciem transformavit, ipſemet Chriſtus ſe ſubduxerit eorum oculis & evanuerit; unde Simon crucifixus eſt, & non Chriſtus. Vide etiam dicta ſuprà in Quæſtione 1. numerô 2. Hoc præmiſsô.

An & qualiter Chriſtus D. Crucem portavit? & Simon Cyrenæus?

117. *Reſpondeo imò. Certùm eſt, quòd Chriſtus Dominus portaverit Crucem ſuam. Ratio eſt.* Quia expreſsè S. Joannes cap: 19. ait de Chriſto: *Et bajulans ſibi Crucem, exivit in eum, qui dicitùr Calvariæ locum, hebraicè aùtem Golgotha.* Conſvetudo enim erat apud Romanos, ut homines crucifigendi, crucem deferrent. teſte Plutarcho Lib: de ſera Numinis vindicta. Impletumq; eſt tunc illud Jſaiæ cap: 9. oraculum: *Factus eſt Principatus ſuper humerum Ejus.* ut explicant Baſilius, Cyrillus, Auguſtinus, & paſſim alii Patres. Inter quos Tertullianus Lib: contra Judæos. cap: 10. *Quis* (inquit) *omnino Regum, inſigne poteſtatis ſuæ, humerô præfert, & non aut in capite diadema, aut in manu Sceptrum? Sed Solus Rex novus novorum ſæculorum Chriſtus JESUS, novam gloriam, poteſtatem, & ſublimitatem ſuam in humero extulit: Crucem ſcilicet ut ſecundùm Davidis Prophetiam* (Pſalmo 95. juxta Verſionem 70. Dominus regnavit à Ligno) *exinde regnaret.* Eandem bajulationem præfigurabat Jsàác, ligna portans in montem Moria, quibûs immolandus erat. ut dicit S. Chryſoſtomus Homiliâ 84. in Joannem. S. Auguſtinus Tractatu 117. in Joan: Tertullianus etiam Cap: 10. adversùs Judæos. *Cùm* (inquit) *Jsàác à Patre poſtea duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum jam tunc denotabat in victimam conceſſi à Patre, lignum paſſionis ſuæ bajulantis.*

Neque huic Reſponſioni infundatæ verbîs Sancti Joannis, contrarium aſſerunt alii Evangeliſtæ, qui referunt angariatum & adactum Simonem Cyrenæum, ut Crucem JEſu portaret. Nam utrumq; veriſſimùm eſt: initiò enim ſolus Chriſtus Crucem portavit, & quidem ita, ut partem unam extremam, humerô bajularet, alteram per terram protraheret, ſed poſtea Judæi & milites cernentes JEſum ſummè fatigatum, exhauſtumq; variis præceden-

tibûs

tibûs afflictionibûs, quas passus fuerat, ultrà vix posse, vel nimìs lentè procedere: fortuitò quendam sibi obvium Simonem Cyrenæum adegerunt, ad Crucem JEsu portandam, ut sic vivum JEsum servarent Crucifixioni, utq; citiùs pervenirent ad montem Calvariæ, ibiq; peractâ Crucifixione, domum redirent ad prandium, erat enim jam meridies, quæ est hora prandii.

118. *Respondeo 2dò Non insimul cum Christo portavit Crucem Simon, sed initiò solus Christus, postea verò solus Simon præeuntis Christi Crucem bajulavit.* Ita Toletus Card: in cap: 19. Joan: Eximius Doctor Suarez Tomo 2. in 3. p. Disp. 36. Sectione 2. Cornelius à Lapide in caput 27. Matthæi. Franciscus Brugensis, Gretserus & alii plurimi. *Ratio est.* Tum quia Responsio data est conformis narrationi Evangelicæ: Sanctus enim Matthæus, cap: 27. & S. Marcus, cap: 15. absolutè ajunt. *Hunc* (id est Simonem) *angariaverunt, ut tolleret Crucem Ejus.* Et S. Lucas, cap: 23. versu 26. ait, *Et imposuerunt illi Crucem.* Tum quia est conformis sensui Sanctorum Patrum Athanasii, Ambrosii, & passim aliorum; qui etiam varia in hoc ipso mysteria agnoscunt. Sanctus enim Aathanasius Lib: de Passione. & Cruce Domini nostri. ait. [Cùm abduceretur, secundùm Joannem sibi ipsi Crucem bajulabat: secundùm verò alios Evangelistas, Simon homo Cyrenensis portabat Crucem. Neq; hoc pugnat cum Joanne. Neq; enim Joannes scribit cæteris contraria, sed utrumq; id factum est: nam & sibi Dominus Crucem gestavit: & rursus Simon homo portavit illam. Primùm igitur portavit veluti trophæum adversùs diabolum, JEsus, volens autem Crucem sibi ipsi ferebat, neq; enim necessitate compulsus, accessit ad mortem. Rursus autem gestavit autem Simon homo, ut omnibus notum fieret, quòd non suam ipsius, sed hominum mortem mereretur Dominus.] Sanctus Ambrosius in cap: 23. Lucæ. [Id factum est, (inquit) ut priùs ipse Crucis suæ trophæum erigeret, deinde Martyribus traderet erigendum. Convenit enim, ut trophæum suum priùs ipse Victor attollat, ac deinde illud idem Christus in homine

&homo

" & homo portet in Chriſto.] Et S. Leo Serm: 8 de Paſſione. dicit. *Inventus eſt Simon Cyrenæus, in quem lignum ſupplicii, transferretur à Domino.*

119. *Neque Dicas.* Utiq; Sanctus Lucas ſcripſit. *Impoſuerunt Crucem Simoni, ut portaret illam poſt JEſum.* Quæ. Verba: Card: Caietanus in ſuo Commentario in Cap. 23. Lucæ. explicat ſic. *Chriſtus ferebat Crucem in anteriori parte, Simon in poſteriori, & ita ibat poſt JESUM.* favetq; huic explicationi Card: Baronius in ſuis Annalibus ad Annum Chriſti 34. Idemq; ipſum picturæ exprimere ſolent. *Reſpondetur.* Per illa Verba Lucæ. *Poſt JESUM.* non ſignificatur id, quod vult Caietanus, ſed potiùs ob rationes ſuperiùs allatas, ſignificatur quòd priùs portaverit Crucem JEſus, poſtea Simon: vel quòd JEſus præceſſerit, ſecutus autem fuerit Simon poſtea portans Crucem. Geſtavit autem Crucem Solus Chriſtus à Prætorio Pilati incipiendo per totam Urbem Hieroſolymitanam, poſtea verò illam portavit Simon licèt non ad ipſum montem Calvariæ.

Porrò. Simon ille Cyrenæus, fuit oriundus ex Civitate Cyrene ſive ea, quæ eſt in Lybia, ut vult Origenes cum multis: ſive ex ea, quæ eſt in Syria, ut cenſet Pater Maldonatus, ſive ex ea, quæ eſt in Cypro, quæ à Cyro ædificata, dicta eſt Cyræne. Inde ergo commigravit in Judæam. Illum fuiſſe gentilem, cenſent Sancti Patres, Hilarius, Ambroſius, Beda, Sanctus Leo Sermone 8. de Paſſione & alii paſſim; in eo ipſo myſterium exponentes; ut nempe ſignificaretur, non credentibûs Judæîs, Gentiles in Chriſtum credituros, & Crucem Chriſti amplexuros. Traditio eſt (ait Pererius, nec diſſentit Cornelius à Lapide) Simeonem hunc, ad Fidem Chriſti poſtea converſum eſſe cum filiis ſuis Alexandro & Rufo, quorum meminit S Marcus Cap. 15. verſu 21. Rufus hic, primò Thebarum, deinde Dertoſtæ (ſeu Tortoſæ) in Hiſpania fuit Epiſcopus: Ejuſq; feſtum Eccleſia celebrat, 12. Novembris. Alexander verò Martyr ponitur in in Martyrologio ab Adone & S. Beda, die 11. Martii: Simon à nonnullis cenſetur eſſe ille ipſe, qui Niger dicitur, Socius Pauli & Barnabæ. Actorum cap. 13.

Simon Cyrenæus an ad Chriſtū converſus cum filiis?

120.

120. *Nota imò.* Cornelius à Lapide, hìc, Pater etiam Gretſerus, Lib: 1. de Cruce. cap. 16. & alii, cenſent eſſe veriſimile, dum duceretur Chriſtus ad crucifigendum, præiviſſe tibicinem unum vel plures, qui tubas inflabant, convocando populum ad ſupplicium hoc ſpectandum. Nec id caret antiquitatis teſtimoniô. Tum Quia in picturis antiquis, Chriſtum ad Crucis ſupplicium euntem, buccinatores antecedere viſuntur. Tum quia conſveviſſe præire crucifigendis buccinatores, teſtatur Vegetius lib: 2. de re militari. cap. 22. Tacitus Libro 2. Annalium. Varro lib: 2. de lingua latina. *An buccinatores antecesserunt?*

121. *Nota 2dò.* Referunt nonnulli Scriptores cum Joanne Paſchaſio, Chriſtum D: crucem bajulando, ſub ejus pondere, in terram ter prolapſum fuiſſe, ſcilicet 1. in ipſa Civitate Jeruſalem, ad finem plateæ prætorianæ. 2. in exitu Urbis, ipſo in limine portæ Civitatis. 3. ferè ad radices Calvariæ montis. Aſſeritq; Chriſtianus Adrichomius in deſcriptione Urbis Jeruſalem num: 249, hanc eſſe Antiquorum Traditionem, & ibi ad radices montis in facti memoriam, erectum fuiſſe lapidem, Crucis figurâ inſignitum. *Christus D: sub Cruce prolapsus.*

122. *Nota 3tiò.* Apud S. Brigittam in lib: 1. Revelat; cap: 10. habetur. quòd Chriſtô D: crucem bajulante, alii Eum fortiſſimè percuſſerunt in collo, alii in faciem validiſſimè cæciderunt. & S. Vincentius Ferrerius, Sermone de Paraſceve. ait. *Alii tunc ridebant, alii lutum ſuper benedictum caput JESU projiciebant, & in faciem.* Auctor item Dialogi de Paſſione D. apud S. Anſelmum. addit, *Alii tunc lapides, alii ligna projiciebant in Chriſtum.* Pater Jacobus Gretſerus, Catholicæ fidei propugnator acerrimus. Qui centum duodecim partim Tomos, partim libros edidit, præſertim contra hæreticos, is lib: 1. de S. Cruce. cap: 16. dicit. [Dubitari nequit, quin Chriſtus D. ad locum ſupplicii, bajulando Crucem, varias vexationes, injurias, & fortè etiam ſtimulorum aculeos tolerarit, quas moleſtias fortaſſis indicare volunt Pictores, cùm aſſerculum, ſive tabellam imæ Chriſti veſti appingunt, quæ clavîs præacutîs conſuta pedibus *Quas injurias bajulando Crucem perpessus Christus D.?*

 calci-

" calcibuſq; euntis illidatur. Item illi, qui Judæos, ſuſtibûs & " ſtimulîs Chriſtum urgentes, effingunt: haud vanè, nam cru- " cifigendi ſolebant olim exagitari etiam ſtimulîs in via.]

De Vulnere in ſcapulis Chriſti D. & in Ejus Brachio.

123 *Nota 4tò. Si quæratur, Chriſto D. Crucem bajulanti, Cauſatumne à pondere Crucis, aliquod vulnus in Sacratiſſimis Ejus Scapulis?* Ad quæſitum videtur reſpondiſſe R. P. F. Daniel Mallonius Sac Congreg. Hieronymianæ in Celeberrimo Bonon. Gymnaſio Divinarum Literarum publicus Interpres in ſuo libro de JEſu Chriſti Crucifixi ſtigmatibus, impreſſo Antverpiæ Annô 1616, in illius enim libri cap: 10. numerô 7. leguntur hæc. *Plurimi pietate atq; eruditione inſignes Viri docent* (doctrinamq; hanc approbat Mallonius ipſe) *per crucis bajulationem, omnem ſcapularum cutem uſq; ad crudæ carnis revelationem, ita concuſſam, exagitatam, & contritam fuiſſe, ut priorum plagarum vulnera, aut innovata ſint, aut in unum vulnus, nimia laceratione redacta. Cùm enim lignum Crucis longum & ponderoſum valde eſſet, non aliter eam portare voluit nimiùm fatigatus JESUS, niſi una pars, ſcapulis, altera terræ incumberet; quò factum eſt ut per lapidum aſperitates, & terræ calloſitatem tractum, ſuo tremore vulneratas Domini Scapulas ſinè intermiſſione graviùs vulneraret; nonnunquam etiam Capiti illiſum, dolorem ſpineæ coronæ renovaret.*

Cornelius item à Lapide (recentiorum Sacræ Scripturæ Interpretum facilè Princeps) in Matth: cap: 27. v. 32. ait. *Chriſtus primò portavit Crucem ſuam longam ut fertur quindecim pedes, latam octo, idq; iam toto corpore & humeris ex flagellatione cruentus, feſſus, fractusq;, ita autem portavit, ut partem unam extremam, humerô bajularet, alteram, per terram protraheret, quam protrahens, ac ad ſaxa & ſcrobes, utì fit, allidens, concutiebatur continuè, adeo, ut flagellorum vulnera, hac concuſſione aſſiduè renovarentur, quæ continua & gravis ei fuit afflictio.* Auctorum prædictorum approbo ſenſum, & dicta, utpote multùm probabili rationi infundata. Incertum tamen eſt, quantanam fuerit determinata profunditas, quin & latitudo illius Vulneris, vel illorum vulnerum de novo cauſatorum vel innovatorum à pondere Crucis.

124.

124. *Nota 5tò.* In nonnullis impressis precatoriis libellis continetur, ut ipsemet etiam legi, quòd Mellifluo Sancto Bernardo Claraevallensi Abbati, (qui non minûs gloriâ miraculorum, quàm eminentissimæ sapientiæ splendore, insigniter Ecclesiam illustravit) quòd inquam ipsemet Christus D. ei revelaverit, à pondere Crucis in suo Sacro Brachio plagam ingentem, seu horrendum vulnus fuisse causatum, quod præ aliis cunctis Vulneribus & cruciatibus, maximè Ei causaverit dolorem ac molestiam; & appromittendo omnibus, quicunq; ratione illius Vulneris, Eum laudaverint, plenam remissionem cunctorum peccatorum venialium, quin & mortalium. Item in iisdem precatoriis libellis legitur, impetratam fuisse per S. Bernardum ab Eugenio III. Summo Pontifice Indulgentiam trium millium annorum omnibus iis, qui ad honorem illius Vulneris, nec non trium Sacrorum ossium ex illo vulnerato brahio proëminentium, recitaverint ter Pater & Ave, vel Orationem certam, quæ incipit. *O amantissime & dulcissime JESU saluto & glorifico hoc S.S. Vulnus tuum, quod inflictum est in SS. tuo humero* &c.

Sed quod ad Indulgentiam attinet, certum est, eam esse apocrypham. Nam Annô 1678. die 7mâ Martii, Romæ à Sacra Congregatione de apocryphis Indulgentiis Decretum est latum, & ab Innocentio XI. approbatum, in quo decreto, expresè inter apocryphas Indulgentias reponitur Indulgentia ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero JESU Christi factæ S. Bernardo. Prohibeturq; ut hæc Indulgentia publicetur ut vera; insuper præcipitur, ut folia & libri, ubi sic proponitur seu asseritur, omnino oboleantur, nisi prædicta indulgentia fuerit diligenter expuncta. Decretum hoc totum habetur etiam in Tomo 6to Theologiæ Moralis à. R. P. Claudio la Croix Societ: JESU. S. Theologiæ Doctore, edito. habetur inquam in Tomi illius 6ti, 6to libro, parte 2. mihi paginâ 283. & sequent.

Quod verò concernit ipsam Revelationem, eam non reprobo; ne tamen ei assentiar; occurrunt (prætermissis aliis) scrupuli hi. 1. Quia illius Revelationis nulla prorsus habetur

mentio in Diviniſſimi Bernardi Vita conſcripta tam à Gvilhelmo Abbate S. Theodorici, & à Bernardo, Abbate bonæ Vallis, quàm à Gofrido, Sancti Bernardi Diſcipulo & alumno. 2. Quia nec implicitè ea continetur in quocunq; Opere ex Operibus S. Bernardi indubitatis, vel etiam dubiis, quæ recenſet diſtinctè Cardinalis Bellarminus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. 3. Quia nullus Scriptorum magnæ Auctoritatis, quicunq; de Paſſione Chriſti Domini tractârunt per tria & ultra ſæcula, ab obitu S. Bernardi (obiit is, Annô 1153. ætatis ſuæ 66tô.) nullus inquam, quantùm ſcio, revelationem illam factam, abſolutè tribuit Divo Bernardo. 4. Quia R. P. F. Daniel Mallonius in citato libro ſuo ſuperiùs, numerô 124. cap: 10. habet. *Vulnus, in ſcapulis ex Crucis bajulatione factum, ſolet à devotis piiſq; hominibus venerari, quoniam ſic cuidam* (NB.non dicit,S.Bernardo) *legitur revelatum: ideo officiô devotionis honorari, Deo eſſe valde gratum.* & R. P. F. Amandus Hermann Ordinis Sancti Franciſci Reformatorum, Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus, in ſuo Libro, Annô 1685. impreſſô, & à pluribus Theologis approbatô, cui titulus. *Deſertum Pharan myſticè explicatum.* cap: 32. mihi pag: 371. dicit. *Amplector libenter Sanctam Divi Bernardi NB. Opinionem, exiſtimantis, Chriſto ex bajulatione Crucis, ejuſq; ponderoſa gravitate, magnum in ſcapulis fuiſſe inflictum Vulnus, quod ipſe pientiſſimè venerari eſt ſolitus, & devotiſſima ſub nomine ejus, circumfertur in libellis precatoriis ſalutatio vulneris ſcapularis.*

QUÆSTIO XV.

An Beata Virgo occurrit Chriſto D. dum duceretur ad Crucifigendum? Item An etiam Matrona quædam, dicta, Veronica?

125. RESpondeo ad primum, Verbis Magni Suarez, Tomô 2do. in tertiam partem, Disp: 36. Sect: 2. [Licèt hoc in scriptura non continetur, neq; ab antiquis Patribus traditur, non tamen est rejiciendum. Id enim affirmant S. Bonaventura, in Libro Meditationum Vitæ Christi. cap: 77. Et S. Brigitta Lib: 1. Revelationum cap: 10. ubi dicit. Beatam Virginem præsentem adfuisse quando Christus flagellatus est, quando portavit Crucem, & quando fuit Cruci affixus; cùmq; hoc postremum, ex Evangelio constet, ex eo potest id, de quo agimus, probabiliter colligi. Cavendum est tamen nè quis existimet, Beatam Virginem fuisse inter Mulieres illas, quæ Christum flebant, ad quas Ipse dixit: Lucæ 23. *Nolite flere super me*: illæ enim (ut notat S. Leo Papa, Sermone 10. de Passione) solùm movebantur quodam humano affectu, *quo Solet infirmior sexus, etiam pro iis, qui digni sunt morte, ad lacrymas moveri*: quem non reprehendit Christus; nam licet supernaturalis non est, erat tamen pius: sed reprehendit earum existimationem. Putabant enim Eum coáctum pati, ut imbecillem, & qui se tueri non posset; & causam mortis non intelligebánt, nec peccatum eorum, qui Eum occidebant, & ideo illis dixit Christus. *Nolite flere super me, sed super filios vestros*: hæc autem existimatio in Beatam Virginem cadere non poterat.] Hucusq; Magnus Suarez. *Probabile est occurrisse B Virginem Christo Crucem portanti.*

126: *Ad 2dam partem Quæstionis propositæ, Respondet P. Alphonsus Salmeron.* [Cùm (inquit) exiret Jerosolymâ Christus Dominus ad Montem calvariæ, parvô intervallô à Porta, nonnihil Christum substitisse quietis gratiâ, fertur; & hoc super petram quandam, quæ adhuc Peregrinis visitantibus loca Sacra, ostenditur: ubi & fæminas est allocutus. *Conversus autem ad illas JEsus, dixit: Filiæ Jerusalem nolite flere super me.* Inter has Mulieres, adfuit quædam Veronica, quæ videns faciem Christi, tam impiè tractatam ac deformatam, propiùs ad Eum accedens, velô capitis sui detractô, sudorem Dominici Vultûs voluit abstergere, ac in velo triplicato Faciem Christi fertur impressam suscepisse *De Velo triplici B. Veronica, narratio.*

ſuſcepiſſe, & qualis tunc erat, remanſiſſe: Quorum unum Romæ, alterum Gienenſi Civitate Hiſpaniæ, magna cum religione aſſervatur. Tertium, quidam ferunt eſſe Jeroſolymis; quod an verum ſit, nondum habeo compertum: illud conſtat, has Figuras piè ac magna religione honorari] hæc P. Salmeron. Tomo 10. in Tractatu 33.

De ipſa Veronica ut ſignificat piam Matronã, quid cenſendum?

127. P. verò Cornelius à Lapide in Cap: 27. Matthæi verſu 32. ait. [Inter fœminas, Chriſtum ad mortem euntem ſequentium, una fuit Berenice, ſive Verenice, vulgò Veronica, quæ ſudarium Chriſto exhibens, ut faciem ſudore & Sanguine madentem abſtergeret, ab eo illud recepit, cum impreſsa in illo, Ejuſdem Chriſti effigie. Sudarium hoc Chriſti effigie inſignitum, Romam translatum, in Eccleſia S. Petri aſſervatur, & quotannis in Paraſceve, populo religiosè oſtenditur, uti ipſe ſæpius vidi. De eo, ejuſq; miraculis exſtat liber vetuſtus in Archivo Bibliothecæ Vaticanæ: de Veronica ſic ſcribit Lucius Dexter ad Annum Domini 28. num: 2. *Verenice Sancta mulier à Gallia Romam venit, ibiq; Divino relicto vultu, miraculis clara, migrat ad Dominum Annô 70. quam dicunt à Chriſto ſanatam è Sanguinis fluxu; de eadem ſic habent Acta S. Martialis, primi Lemovicenſium Epiſcopi. Venit autem cum B. Petro Apoſtolo Romam, & per eum miſſus fuit in Galliam, habens in comitatu ſuo Amatorem, & Conjugem ejus Veronicam, quæ familiaris & præcordialis Amica fuit Virginis Mariæ, Sanctus verò Amator, in rupe, quæ modò, Amatoris dicitur, ſolitariam vitam egit, ibiq; obijt: Veronica autem S. Martialem prædicantem ſecuta eſt in Territorio Burdegalenſi, ibiq; conſenuit.*]

128. *Nota imò.* Indubitatè ab Orthodoxis admittitur Sancta Veronica, quæ ſit ipſa Salvatoris Imago, à Sanctiſſimo Ejus vultu, ſudariô impreſſa, & Veronicæ Nomine communiter appellata, teſte Nicolao IV. Pontifice in Literis, apud S. Mariam Majorem, Idibus Aprilis, Annô 1790. ubi ſic habet. *In ea namq; Baſilica, ſui pretioſiſſimi Vultus Imaginem, quam Veronicam, fidelium vox communis appellat, in ſingularis amoris inſigne, tribuit venerari*

it venerari. Complures præterea Pontifices, Clementem VI. VII. VIII. Gregorium XIII. aliosq;, SacroSanctum Sudarium appellantes *Veronicam*, *refert* Jacobus Grimaldus, Basilicæ Vaticanæ Chartophylacii Propræfectus, apud Bzovium in Annalibus ad Annum 1216. num: 16.

129. *Nota 2dò.* Pater Daniel Papebrochius, in Actis Sanctorum, in Tomo VII. Maji, foliô 358. dicit. [S. Veronica, ut piam Matronam (non ut Imaginem) significat, quæ Christo crucem bajulanti occurrisse, Ejusq; Sanctissimam Faciem sudariô tersisse, vulgò creditur, an ulla unquam fuerit, dubitatur, nec inter solos acatholicos.] Idem P. Papebrochius S. J. Theologus, & celebris Historiographus, in Eruditissimo Libro suo Responsionum, in Responsione ad Articulum 1. de Historia Vitæ Christi, asserit hæc tria. *1mò.* Nomen S. Veronicæ Matronæ continebatur in Martyrologio Galesinii, sed Cardinalis Baronius, qui tam multis Sanctis, etiam ex Galesinio desumptis, Romanum Martyrologium auxit, ausus non fuit ex eodem adjungere etiam *Veronicam*: imò adjunctum tempore Gregorji XIII, expunxit idem Baronius, & in Martyrologio, à se aliisq; eruditis Viris reformato, eam pressit altô silentiô. *2dò.* Eruditione Celebris Lucas Holstenius Canonicus & Bibliothecarius Vaticanus, item Eruditissimus Joannes Mabilio, dubitant de Veronica Matrona etiam utrum fuerit in rerum natura: necnon prædictus Mabilio in libro suo, cui titulus: *Iter Italicum* Pag. 80. ait. *Veronicæ, Imaginis vocabulum est, non mulieris, tractô inde Etymo: Vera Icon. seu Iconia, & contractîs in unum literîs, Veronica.* *3tiò.* Asserit Pater Papebrochius. [Non videtur ab omni verisimilitudine alienum, quòd *Vera Icon*, exigua literarum transpositione, factum sit *Veronica*, ut vulgus in ejusmodi mutationibus facile est: Sic Bruxellis, Saccelllum S. Mariæ *Finis terræ* primitus appellatum, nunc vulgò dicitur *Venster stelle*, quasi *stella fenestræ*, quare etiam stella in apice frontispicij, intra summam fenestram picta cernitur.] Hucusq; P. Popebrochius in prædicto Responsionum Libro, qui Liber, post accuratam Virorum Doctissimorum

rum

rum revisionem & approbationem, approbatus etiam est à R. P. Ignatio Diertins, tunc per Flandrobelgicam Provinciam Soc: JEsu Præposito Provinciali, postea Visitatore Provinciarum Poloniæ & Litvaniæ, dein Assistente Germaniæ, Viro prudentissimo & eruditissimo. Impressus est liber ille, Antverpiæ, Annô 1696.

130. *Nota 3tiò.* Hispali, in Hispania, impressæ fuerant præcipuè adversùs P. Papebrochium Theses 30. & subscriptum fuerat. *Propugnabuntur die 19. 8bris, Annô 1697. manè & vespere.* (reticeo, etsi sciam in quonam Conventu propugnatæ) inter illas 30. Theses, VI fuit hæc. *Sanctæ mulieris Veronicæ existentiam, in dubium vertere, temerarium est. Sacram verò Imaginem Giennensem, in sudario, ab ea, Christo Domino sub Cruce gementi oblato, depictam fuisse, negare, contra inconcussam traditionem pugnare est.* Mox impressæ comparuerunt Salmanticæ, Antitheses etiam 30. cum hoc titulo. *Contra calumnias, veræ Papebrochii Assertiones,* quibus subscriptum erat. *Defendentur Salmanticæ, more Academico Juridico, expositîs librîs & textibûs.* Inter Salmanticenses Anthitheses 30, erat 6ta, hæc. *Sanctæ Mulieris Veronicæ existentiam, non item Sudarii, Christi faciem exprimentis, in dubium vertere, temerarium esse negabunt Baronius, & S. Carolus Borromæus, qui ab omnibus Breviariis, & Missalibus Ecclesiæ Mediolanensis, ejus nomen eradi jussit, & Eruditissimus Joannes Mabilio, cum Jacobo de Trecis, postmodum Urbano IV.*

QUÆSTIO XVI.

Christus Dominus fuitne in Cruce clavîs affixus?

131. RE*spondeo affirmativè.* Est de Fide, contra quosdem Hæreticos, qui asserebant, Christum solîs funibûs vel alio modo, alligatum fuisse Cruci.

Proba-

Probatur Reſponſio. *Tum* quia, ut legitur Joan: cap. 20. Dixit Thomas. *Niſi videro in manibus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, non credam.* Cui poſtea apparens Chriſtus dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus.* *Tum* quia vox *Crucifixionis* id propriè ſignificat; Crucifixio enim non fit ſine clavis. Eâ autem utuntur Evangeliſtæ in ſuis Evangeliis: Nec non S. Joannes in Apocal: cap, 11. verſu 8. Et S. Petrus in Actibus Apoſtolorum. Cap: 2. & 4. alloquens Judæos, ait: *Quem vos crucifixiſtis.* Item S. Paulus 1. ad Corinth: 1. *Nunquid Paulus Crucifixus eſt pro vobis? Nos prædicamus Chriſtum crucifixum.* Niſi autem clavis fixus eſſet, crucifixus non eſſet, ut S. Auguſtinus in Pſal: 68. rectiſſimè dixit. *Tum* quia id prædictum longè antea à Prophetis. Pſal: 21. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Et Zachariæ Cap: 12. *Aſpicient ad me, quem confixerunt.* Et cap. 13. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manum tuarum?*

Certum eſt, clavis affixũ fuiſſe Cruci Chriſtum D.

Accedit. Quod S. Helena Mater Conſtantini Magni, ſimul cum Cruce clavos invenit: ut cum aliis refert Theodoretus Epiſcopus Cyri Civitatis in Syria: (floruit is Annô Chriſti 430.) Lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Cap. 18. Funes tamen etiam adhibitos eſſe ad Cruci alligandum Corpus Chriſti, non eſt improbabile. Quia aliàs (ut notat Cornelius à Lapide in Caput 27. Matthæi, vers: 35.) tota moles Corporis Chriſti, à manibus vix pendere & ſuſtentari potuiſſet: oſtenduntur; hi funes in Templo S. Crucis in Jeruſalem, ædificato à S. Helena. Sanctus etiam Hilarius Lib. 10. de Trinitate, mihi, foliô 203 ait. *Pendulum in Cruce Corpus perpeſſum eſt, & alligantium funium violenta vincula, & adactorum clavorum cruda vulnera.* Addit Nonnus Panopolitanus, vetus Evangelli ſecundùm S. Joannem Paraphraſtes, in capitis 19. verſum 18. Manus Chriſti præter clavos, item ferreô vinculô, Cruci adſtrictas fuiſſe. *Interfectores ad lignum* (inquit) *quadrilaterum ſublime ſupra terram erectum, extenderunt Chriſtum adſtringentes vi, explicatas utrinq; manus ferreô vinculô, & immensô ac ſingulari clavô, pedis utriuſq; pectuſculum,*

uno impetu perforatum transfixêre, pedibus ſibi mutuò impoſitis ac complicatis, inflexibile exitii vinculum. hucuſq; Nonnus.

132. *Nota.* Sine ulla dubitatione tenendum eſt (verba ſunt eximii Doctoris P. Suarez in 3. partem Diſp: 36. Sectione 3tia, necnon Doctiſſimi Patris Alphonſi Salmeronis, Tomo 10mo, Tractatu 35.) utrumq; etiam Latronem clavîs fuiſſe affixum ſuis crucibus. *Ratio eſt.* 1. Quia expreſsè omnes 4. Evangeliſtæ referunt, crucifixos fuiſſe duos latrones cum Chriſto: & ubicunq; in ſcriptura legitur aliquem crucifixum, & non tantùm ſuſpenſum, intelligitur, clavîs eſſe affixum. 2. Quia apud Gentiles & Romanos, quos Cruce puniebant, ut Latrones, rebelles, ſeditioſos, eos cruci affigebant clavîs. ut conſtat ex Hiſtoricis. 3. Quia id expreſsè docent SS. PP. Auguſtinus Tractatu 37. in Joannem. ſub finem; *Clavis* (inquit) *confixi Latrones, diu cruciabantur.* Et Sermone 130. de Tempore. ubi de bono Latrone loquens, ait. *In ſemetipſo erat clavîs confixus, & non ſaucium intellectum, neq; confixum ſenſum habebat.* Et Chryſoſtomus Homil: 1. de Cruce, & Latrone. *Clavorum* (inquit) *confixione conſtrictus erat.* Similiter loquuntur S. Gregorius Magnus Lib: 18. Moral. cap. 23. Ambroſius in Oratione de obitu Theodoſii, Paulinus in Epiſtola ad Sulpitium. 4. Quia ut legitur apud veteres Patres, et in Lectione 5ta Breviarii in Feſto Inventionis Sanctæ Crucis: Cùm inventæ eſſent tres Cruces à Sancta Helena, repertuſq; ſeorſim ab illis, Crucis Dominicæ Titulus: qui cùm ex tribus, cui affixus erat, non appareret, eam dubitationem ſuſtulit miraculùm. Hinc rectè concluditur, Cruces illas fuiſſe & ejuſdem figuræ, & omnes habuiſſe foramina clavorum. Si enim ſola Crux Chriſti, hac in re excelleret, facilè potuiſſet eô ſignô à cæteris diſcerni.

Nec non utrumq; Latronem ſuis crucibus.

133. *Quod ſi objicias.* Utiq; multoties Pictores & Statuarii formant utrumq; Latronem alligatum crucibus, & non affixum? *Reſpondet* Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, *Vir* (ut ait Card: Bellarm. Lib. de Scriptor: Eccleſiaſticis) *Sanctitate & doctrinâ celeberrimus.*) in Paradoxo 3tio, cap. 44. mihi

foliô

foliò 48. *Insipienter id valde pictores faciunt, ita, ut hanc injuriam de nobis infideles in quibusdam dicant, quòd pingimus, qualiter volumus. Hoc quorundam, ut in quibusdam aliis assolet, introductum indiscreta devotione reor, volunt enim pœnas Domini JESU, à pœnis Latronum distinguere: ut in hoc quædam Christo reverentia tributa videretur. Quanquam Judæi hoc non attenderint, quin potiùs Eum morte turpissima condemnare voluerint.* Venerabilis verò P. Salmeron asserit. [Ad illam Objectionem dicendum esse illud Poetæ Horatii,

Pictoribus atque Poëtis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. magìsq; standum esse veracioribus & antiquioribus picturis.]

QUÆSTIO XVII.

Christus Dominus fuitne in Cruce humi strata Cruci affixus? An iam in Cruce priùs erecta?

134. R*Espondet 1.* P. Gretserus cum plurimis, Christum Dominum fuisse Cruci affixum in terra; id est, priùs, quàm Crux erecta & defossa fuit in terram. *Probariq; solet id, multipliciter. imò,* Quia in Monte Calvariæ demonstratur Locus Crucifixionis, distans aliquot passibus à loco, in quo Crux terræ est infixa. *2.* Quia talis modus fuit facilior ad crucifigendum Christum; difficilior enim esset crucifixio in Cruce alta & recta. *3.* Quia ita solebat fieri in illls qui Crucem suam ferebant. *Accedit 1.* Quia S. Laurentius Justinianus, primus Patriarcha Venetorum. Alphonsus Tostatus, qui antonomasticè vocari Solet. *Abulensis.* & alii passim ita sentiunt, ut refert Cornelius à Lapide in cap: 27. Matthæi.

Pro utraq; Sententia afferuntur Rationes probabiles.

Accedit 2dò. Quia Landulphus, sive Ludolphus, Professione Carthusianus, Vir pietate & doctrinâ clarissimus (floruit Annô Christi 1330.) in 2. parte Vitæ Christi *Cap*:63. dicit. [Crucifixio Christi D. facta est, Cruce in terra jacente, postea Christum affixum levaverunt cùm Cruce; & hoc videtur sentire Hieronymus, & in quadam Oratione, S. Innocentius Papa Tertius: & hoc fortè repræsentat Ecclesia in eo, quòd in die Parasceves, Crux deosculando jacet ad terram appodiata.] Et aliquantum superiùs in eodem capite habet hæc. [Nudus super lignum Crucis,quæ in terra erat posita,dirè projectus Christus D. crudeliter expansus & tractus strictissimè in modum pellis, hinc inde est extensus. dicitur enim quod foramina fecerunt priùs in Cruce & quia Brachia & pedes Christi non poterant foramina attingere: ideo ligatis funibus in brachiis & pedibus tantùm traxerunt, ac dulces manus ac pedes, ita attrociter extenderunt, ut omnes juncturæ ossium dinumerari potuerint.] Hæc Ludolphus. *C*ujus verba consultò hìc apposui, quia Scriptores quidam graves (quorum Nomina consultò reticeo) eum citant pro sententia Responsionis 2dæ quæ sequitur.

135. *Respondet 2dò Ad Quæstionem propositam C*ardinalis Toletus & P. Ribera in caput 19. Joannis. Lipsius libro 2dò de Cruce. *C*ap: 7mo & alii multi: priùs fuisse Crucem erectam, & modò primùm postea Christum D. in Ea Crucifixum. *Probariq; id solet ex eo. 1mò.* Quia Canticorum 7mô, versu 8uo. dicitur. *Ascendam in Palmam & apprehendam fructus ejus.* Quæ Verba Sancti Patres nonnulli intelligunt de Christi *C*rucifixione, & de Ea per modum ascensûs loquuntur. Ut *C*yprianus sermone de Paß: Domini. *Ascendisti Domine Palmam, quia illud Crucis Tuæ lignum, protendebat triumphum de diabolo.* Et Gregorius Magnus citata Verba *C*anticorum, explicat sic: Ascendit in palmam & apprehendit, fructus ejus. *quia in Cruce suspensus, frúctum vitæ apprehendit* juxta illud Genesis 49. *Ad prædam Fili mi ascendisti.* 2dò. Quia ita sentiunt S. Gregorius Nazianzenus in

Tra-

Tragædia Christi patientis. Seraphicus Doctor S. Bonaventura lib: Medit: Vitæ Christi cap. 78. Item Nonnus, vide supra numerô. 131. *3tiò.* Quia in libro 7mo Revelationum S. Brigittæ cap. 15. de Visione Pass: Domini quam vidit in Jerusalem in Ecclesia Sancti Sepulchri in Capella montis Calvariæ, leguntur hæc. *Dominus* (inquit S. Brigitta) *ad me conversus dixit. Attende Tu, quia in isto foramine petræ infixus fuit pes Crucis meæ tempore Passionis: & statim vidi qualiter ibi Crux Ejus à Judæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ cum lignis confixis cum malleo validissimè circumquaq; ut Crux solidiùs staret. Cùm igitur Crux ita solidè confirmata esset ibidem, statim adaptabantur tabulæ ligneæ in circuitu stipitis Crucis per modum graduum, usq; ad locum, ubi pedes Ejus Crucifigi debebant, ut possent per illos gradus tabularum tam Ipse, quàm crucifixores ascendere, & super tabulas illas aptiori modo stare ad Crucifigendum Eum. Post hoc autem ascenderunt illi per illos gradus, ducentes Eum cum irrisione & vituperio maximo, qui gratanter ascendit; cùm esset iam super tabulas illas, non coactus sed statim voluntariè extendit brahium suum, & apertâ manu suâ dextrâ, posuit eam in Cruce, quam illi sævi tortores immaniter Crucifixerunt, perforantes clavô per illam partem quâ os solidius erat: tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum Ejus sinistram, Cruci eam affixerunt simili modô: deinde extenso Corpore ultra modum, junctos pedes affixerunt in Cruce duobûs clavîs, & in tantum extenderunt illa gloriosa membra in Cruce, tamq; vehementer, ut quasi omnes venæ & nervi Ejus rumperentur.*] Hucusq; S. Brigitta. Itaq; censuit hæc Sancta, Christum D. in Cruce priùs erecta, affixum fuisse.

P. verò Salmeron, Suarez, Lorinus, Cornelius à Lapide, in hac Quæstione nil definiunt. Ego utramq; Responsionem superiùs adductam censeo esse æquè probabilem.

136. *Nota.* Ludolphus, locô superiùs citatô ait? [Extensio illa in Cruce multùm pænosa fuit, & maximam pænam Christò intulit. Unde legitur, quòd cùm Quædam devota Persona in quadam Revelatione interrogaret Dominum, Quid in omni-

Extensio in Cruce Christi quantum fuit Ei dolorifera?

" omnibus quæ pro nobis pertulit, maximè doluiſſet. Reſpon-
" dit. Quòd in Cruce extenſus fui ita, ut omnia oſſa mea nu-
" merari potuiſſent. Quicunq; pro illo dolore Mihi gratias egerit,
" ita gratum obſequium mihi præſtabit, ac ſi omnia vulnera mea
" ungventô ſvaviſſimô deliniret.]

QUÆSTIO XVIII.

Quotnam clavîs Chriſtus D. fuit Cruci affixus, tribusne? an quatuor?

137. RESpondeo *imò. Sententia aſſerens Chriſtum D. tribus clavîs fuiſſe cruci affixum, eſt probabilis.*

Sententiæ utriusq; probabilitas, Rationibus declaratur.

Probatur. Quia in Corde Beatæ Claræ à Cruce (ſeu notiorî nunc vocabulô, à Monte Falconis) mortuæ Anno 1308. in Corde Ejus inquam diſciſſo apparuerunt (miraculosè utiq; ?) Dominicæ Paſſionis expreſſa inſtrumenta, in ijſq; numerantur ſolùm tres clavi. Et Beata Baptiſta de Varanis (fuit Ordinis pauperum S. Claræ Camerini in Umbria) ex Chriſti Domini Ore ſibi loquentis audivit hæc. *Manſi nudus in Cruce & volo ut maneas nuda etiam Tu in Cruce Religionis, id eſt exuta omni amore. Fui confixus tribûs clavîs ut Tu etiam totidem crucifigaris: videlicet, paupertate, obedientiâ & caſtitate.* Item Beatæ Gerardeſcæ Piſanæ (fuit Ordinis Camaldulenſis Tertiana) Chriſtus Dominus crucifixus apparuit, cujus Sacratiſſimi Pedes unicô clavô perforati erant. Sancta etiam Magdalena de Pazis in raptu ſuo, 26. horarum, cenſebat Chriſti Pedes, unô clavô eſſe transfixos. Vide P. Papebrochium Tomô 6tô Maji, & in Ejuſdem, libro Reſponſionum ad Articulum 20mum.

Confirmatur Reſponſio Auctoritate Patrum. S. Ambroſius in Oratione de obitu Theodoſii, non meminit niſi tantùm tri-

um

um clavorum. & S. Gregorius Nazianzenus in Christo patiente, meminit Josephi deponentis Christum ex ligno tribûs clavîs insigni. dum ait. *Nudum triclavi repositum ligno auferens.* Idem asserit Nonnus antiquus Auctor. Item S. Bonaventura & Ludolphus Carthusiensis: videturq; esse communis sensus populi Christiani, & frequens pictura Christi Crucifixi. isq; numerus videtur esse sufficiens.

138. *Respondeo 2dò. Sententia asserens Christum Dominum quatuor clavîs fuisse affixum Cruci, est etiam multùm probabilis.*

Probatur. Quia S. Brigitta lib: 1mo Revelationum Cap. 10. asserit, unum pedem superpositum alteri duobûs clavîs fuisse affixum, idq; sibi revelatum esse à Beata Virgine. & lib: 4to Revelationum Cap: 70. habetur, quòd Deipara Passionem Filii sui per ordinem ad Crucifixionem sic exposuit dictæ S. Brigittæ. *Ecce malleus & quatuor clavi acuti in promptu sunt, erat autem Crux fixa & Brachia Ejus elevata, ita ut nodus Crucis inter scapulas esset, nec ullum capiti reclinatorium Crux præbebat, & tabula Tituli utriq; brahio supra caput eminenti, affixa erat. Ad Crucem igitur jussus dorsum vertit, & manum postulatus, primò dextram extendit; & inde alia manus ad reliquum cornu non attingens, distenditur, & pedes similiter ad foramina sua distenduntur, cancellatiq; & quasi infra à tibiis distincti, duobùs clavîs ad Crucis stipitem per solidum os, sicut & manus erant configuntur.*

Responsio 2da confirmatur Auctoritate etiam Patrum. Sanctus Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum. Cap: 6to. ait. *Clavorum Dominicorum quòd quatuor fuerint, hæc est ratio: Duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis.* & S. Cyprianus Martyr in sermone de Passione. scripsit: *Clavis sacros pedes terebrantibus.* Et Innocentius III. de uno Martyre: *Quatuor* (inquit) *clavi, sunt quatuor principales virtutes.*

Accedit. Tum quia S. Francisci Seraphici Stigmata repræsentant quatuor clavos. ut refert Lucas Vadingus in Annalibus Minorum. ad Annum 1224. Tum quia multæ antiquæ Christi

Domi-

Domini Imagines & ſtatuæ reperiuntur, in quibus ſinguli pedes ſingulìs clavìs figuntur. Inter illas Imagines etiam eſt antiquiſſima illa quæ in Chyemenſi Monaſterio Bavariæ oſtenditur. Tum quia Treviris, clavus aſſervatur, de quo diſertè in memoriis antiquis ſcribitur, eſſe clavum pedis dextri Chriſti Domini Cruci affixi.

Ego cum Eximio Doctore P. Suarez exiſtimo, in hac re nihil certi ſtatui poſſe.

In quanam parte manuũ Chriſti, trãſfixio, eſt facta?

139. *Nota ex Cornelio à Lapide* in Caput 27. Matthæi. Nonnulli (non improbabiliter) cenſent Chriſtum Crucifixum clavìs non per volam manûs, ſed per carpum adactìs. Carpus vocatur, brachii extremitas, ubi eſt pulſus, & ubi brahium jungitur manui: adactis inquam per carpum, non directè ſed tranſverſim, ita ut per carpum adigeretur in manum, & clavi extremitas in extremam manûs ſuperficiem deſineret, illamq; Cruci affigeret. Clavi enim valde fuêre longi, ut patet ex illo qui Romæ conſpicitur. Id ita eſſe liquet clarè (inquit Mallonius Auctor ſat celebris) ex Sacra Sindone, cui involutum fuit Corpus Chriſti à Cruce depoſitum, in quo hæc Chriſti Stigmata manifeſtè viſuntur, quod religiosè ſervatur & colitur Taurini apud Allobroges. Favet illud Pſalmi 21. *foderunt manus meas* &c. idem exhibent antiquæ Picturæ Chriſti Crucifixi. Ita crucifixerunt inquiunt, Chriſtum, tum ut firmiùs Eum Cruci affigerent; Tum ut majori dolore Eum aficerent.

QUÆSTIO XIX.

Chriſtus Dominus an nudus fuit Cruci affixus?

140. R*Eſpondeo imò.* Certum eſt Chriſtum Dominum non nudum ſed veſtitum, ad montem Calvariæ fuiſſe deductum. Legitur enim Matthæi 27. *Induerunt eum ve-*

stimentis Ejus, & duxerunt Eum, ut crucifigerent. & S. Ambrosius sermone de Cruce. ait. *Resumpsit simul cum trophæo Crucis, vestimenta sua ab illis, abiturus ad mortem.* Certum est item, Christum D. immediatè ante crucifixionem, fuisse nudatum omnibûs vestibûs: nam milites sibi eas divisisse leguntur. Joannis 19. Impletumq; est tunc Prophetæ vaticinium. Psalm. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super Vestem meam miserunt sortem.* Controvertitur solùm, an Christus D. planè nudus in Cruce pendebat. Quare.

141. *Respondeo 2dò. Probabile est, Christum D. fuisse contectum in iis partibus, quas natura texit. Ratio est 1ma.* Quia in lib: 1mo Revelationum S. Brigittæ, Cap. 10mô legitur, quòd sit Beata Virgo allocuta S. Brigittam sic. *Stante Filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, unus tunc accurrens portavit sibi velamen, quô ipse exultans intimè velabat verenda sua.* Hinc infertur, quòd Christus priùs tectus fuerit, quàm crucifigeretur, vel in altum elevaretur. *2da Ratio.* Quia, ut ait Abulensis in Paradoxo 5to, cap: 34. [Cùm D. JEsus crucifixus est, nudus in Cruce fuit, " sic enim ait Matthæus cap: 27. & Marcus 15tô cap: Cùm enim " in Cruce poni debuit, milites Pilati, qui Ejus in passione cu- " stodes atq; cruciatuum ministri erant, Eum cunctîs vestibûs e- " xuerunt, relictîs Ei duntaxat genitalium vasorum tegmentîs, " quæ nullus qualicunq; crudelitate sæviat, alteri auferret, ob ve- " recundiam humanæ speciei. Nec jam Christus talem in cor- " pore suo ignominiam toleràsset. Hoc namq; omnem pænalitatis humanæ speciem excederet. Super hæc autem genita- " lium tegmenta, quodam fortassis linteô cingebatur ab umbi- " lico usq; ad quandam crurum partem pervenientem. Si autem " nulla aliarum fæminarum devotarum quæ assistebant Passioni " Ejus, inter quas fuerat Maria Magdalene & Maria Jacobi, tegen- " do Corpori Salvatoris nostri aliquid præbuisset, Ipsa Benedi- " cta Mater, cuncta Capitis sui velamina impenderet, si res ex- " peteret.] Hæc Abulensis. Idem cum Abulensi sentiunt Dionysius Carthusianus, & Barradius. Aliiq; nonnulli.

Rationes afferuntur, quòd Christus fuerit aliqua sui parte contectus.

3tia Ratio. Quia honesti & graves Viri, qui veniebant & revertebantur illudentes Christo crucifixo, non fuissent ausi stare in conspectu Domini penitùs denudati: nec honestissimæ Mulieres & verecundæ, tali spectaculo astitissent.

4ta Ratio. Quia (ut ait P. Salmeron Tomo 10 in Tractatu 35.) Sindon munda, quâ fuit sepeliendus Dominus, & involvendus à Josepho ab Arimathia, quæ etiam hodie Nicæ ostenditur, reliquit integram Christi Figuram, in qua tam pars anterior Domini, quàm posterior ostendit hujus veli signa apertissima. *Accedit.* Quia omnes Christi crucifixi Imagines repræsentant Dominum linteô præcinctum.

Nota. Si quæratur. Undenam habuit Christus D. illud velamen seu linteùm? Respondet Auctor Dialogi de Passione Domini apud S. Anselmum. Sanctissimam Deiparam velamen Capitis sui in hoc obsequium exhibuisse. Et Ludolphus idem asserit locô suprà citatô. In S. verò Brigittæ Revelationibus (ut vidimus suprà) asseritur: quòd ab uno tùnc accurrente allatum fuerit velamen. Hîs tamen non obstantibûs.

Contraria tamen Sententia videtur probabilior.

142. *Respondeo 3tiò. Probabilior est Sententia, quæ asserit Christum D: omnino nudum absq; alicujus partis velamine, fuisse Cruci affixum. Ratio est 1ma.* Quia hæc est Communior Sententia Sanctorum Patrum (ut ait P. Suarez & multorum Doctorum. S. enim Ambrosius librô 10mô. in Caput 23. Lucæ dicit. *Nudus Crucem ascendit: nudum ecce video. talis ergo ascendat, qui sæculum vincere parat, ut sæculi adjumenta non quærat. victus est Adam, qui vestimenta quæsivit, vicit Ille, qui vestimenta deposuit, & talis ascendit, quales nos, Auctore Deo, natura formavit: talis in Paradiso homo primus habitaverat, talis ad Paradisum homo secundus intravit.* Et S. Athanasius Sermone de Passione & Cruce. similia habet. Eandemq; sententiam tenet S Bonaventura, Suarez, Gretserus, Franciscus Lucas Brugensis &c. *2da Ratio.* Quia hæc nuditas præfigurata est in Nòë. Is enim ut legitur Genesis Cap: 9. Cùm vineam plantasset, inebriatus vinô illius, omnino nudatus est: Sic Christus amore nostri. ut explicat S. Augustinus librô 16. de Civitate. Cap. 2. nec non alii Patres. *3tiâ*

Ratio. Quia fuit Consvetudo apud Romanos & alias Gentes, quibus crucifixio usurpata, nudos planè & absq; ullo velamento crucifigere; hinc Artemidorus lib: 11. Cap: 18. ait. *Crucifigi bonum pauperi, quia sublimis est crucifixus: Noxium verò diviti, quia nudi crucifiguntur.* *4tà Ratio.* Quia ut arguit P. Suarez Tomô 2dô, in 3. p. q. 46. Articulo 8. Sect: 4. Christus alligatus columnæ ut flagellaretur, omnium Sententiâ omnino nudus fuit. Ergo non recusavit pro hominibus affici hoc dedecore atq; tristitiâ ex hoc pudore ortâ. *Accedit.* Si ratione humana utamur, non est verisimile (inquit idem Pater Suarez) hostes ipsos Christi, habuisse curam tegendi Illum. Amicis verò quorum non pauci indignitatem spectabant, nullus patebat accessus à circumstantibus hostibus, qui omnem injuriam & ignominiam Christo vehementer optabant; quare nudus in Cruce pependit, ut hac sua nuditate nostram nuditatem convestiret. Præsertim cùm multa perpessus sit hominum causâ (ut prudenter notat P. Gretserus cum pluribus) quæ Divinam Majestatem dedecere videri potuissent, nisi constaret, Deum, omnis decentiæ & honestatis Auctorem, nihil indecenter agere.

Pingitur quidem Christus linteô præcinctus; non enim necesse est, ut eô modô fidelium oculis subjiciatur, quô Crucifixus est ab iis, quos Psalmista, Psalmô 21. vocat, *canes*: qui multa egerunt inverecundè, quæ verecundè repræsentari nequeunt. ut rectè monuit Joannes Molanus lib: de pict: Cap: 29. qui etiam addit, Imagines Crucifixi solô linteô præcinctas, ad pietatem magìs accommodatas esse, quàm vestitas, quarum usus fluxisse videtur ex Historia, (quam narrat S. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyrum. Cap: 23.) de Presbytero, qui (ut fertur) secundùm quietem à Christo jussus est, Imaginem Crucifixi in templo præcinctam solô linteô, vestire, ne Crucifixus nudus à populo aspiceretur.

QUÆSTIO XX.

Christus Dominus cum spineaneCorona redimitus, in Crucem est actus?

143. EUthymius (qui vivebat Annô Christi 1118. scripsitq; Commentaria in 4. Evangelia.) Cap. 67. in Matthæum, sentit cum nonnullis, Christum Dominum non fuisse Crucifixum cum spinea Corona. Ratio illorum est. Quia cùm Christus fuit ductus ad crucifixionem, chlamyde coccineâ est exutus, & propriîs indutus vestibûs ad portandam Crucem, ut refert S. Matthæus Cap. 27. Ergo etiam (inquit) ablata illi fuit Corona Spinea: quæ cum illa chlamyde coccinea erat ludicrum insigne Regium. Sed.

144. *Respondeo Longè probabiliùs est, in spinea Corona Christum Dominum fuisse Cruci affixum.*

Pro hac Sententia Rationes quinq́.

Probatur imò. Auctoritate Patrum. Origines (qui floruit Annô Christi. 226. Tractatu 35. in Matthæum.) *De chlamyde* (inquit) *Scriptum est, quoniam denuo spoliaverunt Eum chlamyde coccineâ: de Corona autem spinea, nihil tale scripserunt Evangelistæ, propterea, quòd & nos quærere voluerunt exitum rei de Corona semel imposita, & nunquam detracta.* Idem etiam sentit Tertullianus lib: contra Judæos cap: 13. ubi de Christo explicans Figuram Jsaac. ait. *Jsaac cum ligno reservatus est, ariete oblato in vepre cornibus hærente* (ut legitur Genesis cap. 22.) *Et Christus suis temporibus lignum suîs humerîs portavit, inhærens cornibus Crucis, Corona Spinea in Capite Ejus circumdata.* S. Cyprianus Sermone de Passione Domini. Christum Crucifixum sic alloquitur. *Consideravi opera tua & expavi, clavîs sacros pedes terebrantibûs, fossisq; manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum Caput pungentibus non quereris.* Hancq; sententiam amplectuntur

tur

tur communissimè Omnes Doctores Scholastici. *2da Ratio.* Quia in S Brigittæ lib· 4. Revelationum Cap: 70. habentur hæc. *Corona Spinea Capiti Ejus arctissimè imposita fuit, quæ ad medium frontis descendebat, plurimis rivis Sanguinis, ex aculeis infixis, decurrentibus per faciem Ejus, & crines & oculos & barbam replentibus, ut quasi nihil, nisi sanguis totum videretur: nec ipse me* (inquit B. Virgo ad S. Brigittam) *Cruci astantem videre potuit, nisi sanguine expresso per ciliorum compressionem.* *3tia Ratio.* Quia cùm Christus D. duceretur ad locum supplicii portans Crucem, in via sudariô quodam faciem tersit, atq; in eo effigiem suam impressam reliquit & sudarium ipsum tinctum est sanguine, qui per faciem fluebat, propter spineam coronam, quam tunc etiam Christus habebat in Sacro Capite. *4ta Ratio.* Quia cùm Christum crucifixerint Judæi & Gentiles Nomine Regni affectati, idq; in ipso titulo Crucis expressum fuit, saltim multùm probabile est, eos, Coronam, insigne Regni affectati, in Sacrosancto Christi Capite reliquisse. *5ta Ratio.* Quia cùm Corona spinea Christum fuisse Crucifixum testantur omnes antiquissimæ Ejus picturæ & statuæ.

145. *Quæritur. An postquam semel imposita est Corona Spinea Sacro Capiti, an aliquando ante depositionem Corporis Christi de Cruce, fuit deposita?*

Respondet. P. Suarez, negativè, infundatq; responsionem suam citatis verbis Origenis & 3tiæ rationi allatæ.

Quod si dicitur, Utiq; Christus D. post spineam suam coronationem, antequam duceretur ad Crucifixionem, fuit reindutus vestibûs suìs postea verò in monte Calvariæ immediatè ante ipsam crucifixionem fuit vestibûs exutus. Ergo post coronationem spineam, saltim postea debuit bis deponi Corona spinea, & iterum Eidem bis imponi? & ita sentiunt nonnulli Scriptores, imò hoc ipsum videtur indicari in S. Brigittæ lib: 1mo Cap: 10. & 11.

Respondet P. Suarez Hæc quamvis vera esse possint, & ideo nullum sit periculum, ea piè meditandi: tamen non habent

sufficiens fundamentum, ut simpliciter asserantur. quia spinæ non erant adeo oblongæ, & vestis ipsa, quamvis esset inconsutilis, poterat esse superiori parte satis divisa, ita, ut commodè exui posset.

Nota. Ex eo, quòd milites exuerint Christum Chlamyde, non sequitur, quòd etiam abstulerint Coronam spineam. Vestis enim illa purpurea fortè erat alicujus valoris, & erat aliena, & fieri potuit, ut proprius Dominus eam recuperare voluerit. Quæ ratio in Corona spinea locum non habet.

QUÆSTIO XXI.

Christus D. crucifixus in monte Golgotha seu Calvariæ, estne in loco convenienti, cruci affixus?

Convenientiæ hujus Ratio multiplex.

146. RE*spondeo Affirmativè.* *Ratio est ima.* Quia ut ait Origines Tractatu 35. in Matthæum. *Ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur; & in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, id est locus capitis, Caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris, qui ibi passus est & resurrexit.* Et Tertullianus lib: 2. Carminum contra Marcionem Cap: 4to.

Hìc hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hìc patitur Christus, piô sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ, ut possit veteris cum sangvine Christi
Commixtus, stillantes aquæ virtute lavari.

Et S. Ambrosius in caput 23. Lucæ *Congruebat* (inquit) *ut ibi vitæ nostræ primitiæ locarentur, ubi fuerant mortis exordia.* Item S. Augustinus Sermone 71. de Tempore, dicit. *Verè, Fratres,*

non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus: & dignum erat, ut ubi ceciderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia: & Sangvis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. *Ratio 2da.* Quia in illo monte, olim Abraham Filium suum Jsàác immolare à Deo jussus est. ut complures Veterum Patrum tradunt, & inter illos S. Augustinus Serm. 71. de tempore, qui id ipsum Divi Hieronymi Auctoritate confirmat. Idipsum docet S. Beda de locis Sanctis, Cap, 2do & alii. Mons enim Moria in quo id contigit, vicinus est monti Calvariæ, adeoq; uterq; unus idemq; videtur esse mons in duo juga, sive duos colles, scilicet Moria & Calvariam dissectus. Testatur idem S. Beda locô citatô, in loco illo montis Moria, ubi Abraham Altare construxerat, ut Filium immolaret *fuisse mensam ligneam non parvam, in quam pauperum Elèémosinæ solitæ fuerint* à populo deferri. *Ratio 3tia.* Tum quia conveniens erat Christum Dominum in loco supplicii publico & infami, qualis erat *Golgotha*, seu mons *Calvariæ* crucifigi, ut infamia & execrabilia nostra scelera lueret & expiaret: ostendereturq; quòd Crux Christi erat remedium contra peccata totius Mundi. Tum ut adimpleretur illud in Psalmo 72. *Deus operatus est salutem in medio terræ.* Locus enim in quo Christus D. crucifixus, est medium terræ, ut asserunt Patres & veteri traditione ad hæc usq; tempora durante svadetur. Hinc Tertullianus lib: 2. Carminum adversûs Marcionem ait.

Golgothæ locus est capitis Calvaria quondam.
Lingua Paterna prior sic illum nomine dixit.
Hìc medium terræ est, hìc est victoriæ signum.

Et S. Victorinus Pictabionensis Episcopus & Martyr dicit (qui floruit Annô Christi 270.)

Est locus ex omni medium quem credimus Orbe.
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt.

Citat hos versus etiam S. Beda de locis Sanctis Cap: 3. & Sanctus Cyrillus Catechesi 13. *Medium* (inquit) *terræ est hìc Golgothas,*

Similia

Similia habet S. Hilarius cap: 33: in Matthæum. S. item Hieronymus in caput 5. Ezechielis ait. *Hieruſalem in medio Mundi ſitam, hic idem Propheta teſtatur, umbilicum terræ eſſe demonſtrans. Operatus eſt ſalutem in medio terræ: à parte enim Orientis cingitur plagâ, quæ dicitur Aſia, à partibus Occidentis, Ejus quæ appellatur Europa. A meridie & Auſtro, Lybiâ & Affricâ, à Septentrione, Scythiâ, Armeniâ atq; Perſide & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium poſita eſt.* Ex quibus verbis apparet (inquit P. Gretſerus) S. Hieronymum non eſſe locutum de medio terræ Mathematicorum more, ſic enim non eſt medium terræ: neq; fortè medium terræ habitabilis (ut quidam volunt,) ſed medium terræ accepit morali hominum exiſtimatione & Judiciô, qui illud nonnunquam medium appellant, unde reſpectu ſui ad alios facilis eſt tranſitio vel tranſmiſſio, & cum iiſdem commoda communicatio, etſi Joſephus Judæus hiſtoricus lib: 3tio de bello Judaico cap: 2do. ut & Ariſteas lib: de 70. Interpretibus, Hieroſolymam nominet mediam, non totius terræ, ſed tantùm Palæſtinæ; & fortè Propheta, cùm cecinit *Deum operatum eſſe ſalutem in medio terræ* non tam ad univerſæ terræ, quàm ad Palæſtinæ medium reſpexit.

Calvaria mõs unde eſt dictus è ſenſu communi Patrum?

147. *Nota imò. Si quæratur, Quarenam iſte mons Calvariæ, nomen ſumpſerit à calvaria, quæ eſt cranium hominis, carne nudum, quod & calva dicitur? Reſpondeo* cum communi Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum ſententia, ideo appellatum *Calvariæ montem,* quia ibi primi hominis caput, id eſt Adami, reconditum erat. Unde Tertullianus (qui Annô Chriſti 200. floruit) librô 2dô Carminum contra Marcionem loquens de Golgotha. ait.

Os magnum, hìc Veteres noſtri docuêre repertum.
Hìc hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum.

Vide & ſuprà numerô 145. ejuſdem Tertulliani 4. verſus. Et Origines, Tractatu 35. in Matthæum. ait. *Venit ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt in loco, qui dicitur Calvariæ, ubi crucifixus eſt Chriſtus.* S. Cyprianus ſermone

mone de Resurrectione Christi. *Creditur Calvaria Adami, qui sub loco in quo Crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis.* Similia habet S. Basilius in cap: 5. Jsaiæ. S. Athanasius, sermone de Cruce Domini. S. Epiphanius hæresi 46. S. Chrysostomus Homiliâ 84. in Joannem. Euthymius, Theophylactus, & plurimi alii. Imò & S. Hieronymus in Epistola, 17. quam nomine Paulæ & Eustochii scripsit ad Marcellam dicit. *In hac urbe* (id est Hierosolymis) *imò in hoc tunc loco, & habitâsse dicitur & mortuus esse Adam. Unde & locus in quo Crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur, scilicet quòd ibi sit antiqui hominis calvaria condita* In eadem sententia est, & S. Ambrosius, & S. Augustinus ut vidimus suprà, n: 146. Idem videntur insinuare etiam illi, qui sub cruce Christi, Calvariam pingunt. ut rectè annotavit ex Alberto Magno eruditus Joannes Molanus in libro de Pict: & Imag: Sacris cap: 78. scribit etiam Jacobus Orrohaita, sive Edessenus, Magister Sancti Ephrem. (ut refert Cornelius à Lapide) scilicet, Nòé Adami ossa in arcâ religiosè suscèpisse, ac post diluvium, illa inter filios distribuisse, ipsiq; filio suo Sem, quem anteferebat cæteris, Adami Calvariam dedisse, & cùm ea Judæam.

148. *Nota 2dò.* S. Hieronymus recessit postea à sua priori & communi sententia; nam explicando cap: 27. Matthæi & cap: 5. ad Ephesios. censet, monti illi nomen Calvariæ inditum esse à craniis, seu calvariis eorum, qui capitali suppliciô affecti, vitam finiunt. *Extra Urbem* (inquit in cap: 27. Matth:) *& foras portam, loca sunt, in quibus capita truncantur damnatorum, & Calvariæ, id est, decollatorum sumpserunt nomen: propterea enim ibi crucifixùs est Dominus, ut ubi priùs erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla Martyrii.* Hanc S. Hieronymi sententiam sequitur S. Beda, in cap: 27. Matthæi. S. Thomas in 3. p. q. 46. art: 10. ad 3. Iansenius Episcopus Gandavensis, Lucas Brugensis & alii quidam. Verùm huic sententiæ (ut notat cum aliis Pater Gretserus lib: 1. de S. Cruce. cap: 18.) repugnare videntur hæc. *imò.* quia supplicium decollationis apud Judæos non fuit usitatum, nisi fortè tunc, quando illis dominabantur Romani, quibus hoc

De Sententia S. Hieronymi, hac in parte quid censendum.

supplicium in usu: jam verò mons iste ante Romanorum in Judæos imperium, *mons Calvariæ* appellabatur. *2dò.* quia aliàs quilibet locus cujuscunq; alterius Civitatis, suppliciis reorum deputatus, si esset editior, nominari potuisset *mons Calvariæ.* inauditum autem est, ullum locum præter hunc in tota Palæstina sic appellatum. *Accedit.* Quia Judæi ad vesperam sepeliebant, quos suppliciô affecerant, ut constat ex Deuteronomii cap: 21. Non ergo à craniis in illo monte dispersis vel relictis, nomen hoc monti venit. Videtur proinde non recedendum à communiori supradicta sententia Patrum & sensu fidelium.

Allegat quidem Divus Hieronymus pro sua sententia librum Josue, in quo legitur *Adam sepultum esse juxta Hebron & Arbe. Hebron* (inquit Scriptura 14. cap: Josue) *ante vocabatur Cariath Arbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Sed hæc ratio, non est efficax contra illam tot Patrum & ipsius etiam Hieronymi, aliis in locis Auctoritatem. ut prudenter observavit cùm aliis Card: Baronius ad Annum Christi 54. num 13. Quia nomen Adam eô locô non est nomen proprium, sed commune, significans idem, quod, homo, phrasi Scripturæ Sacræ non inusitatâ, sic enim sumitur 2. Regum cap: 7mô. v. 19. & Oseæ cap. 11. v. 4. Sumitur autem in citato Textu, lib: Josue in hac significatione, & sensus est: aliquē hominem proceræ staturæ, ibi esse sepultum; quare idem S. Hieronymus in Epist: 27. quæ est Epitaphium S. Paulæ. refert, plerosq; existimâsse, maximum hominem, qui ibi sepultus sit, esse ipsum Caleb.

Nota 3tiò. S. Cyrillus Jerosolymitanus Episcopus, qui floruit Annô Christi 360. illius denominationis *Calvaria*, dat mysticam rationem hanc, Catechesi 13tiâ. *Aliqui propheticè locum hunc, Calvariæ appellârunt, in quo verum Caput Christus, Crucem sustinuit, sicut Apostolus dicit, qui est Caput omnis Principatûs & Potestatis, Caput hoc, in loco Calvariæ passum est. ô magnam Propheticam appellationem, modò enim & nomen hoc te admonet, ut non tanquam simplici homini attendas Crucifixo, Caput enim omnis Potestatis crucifixum est.*

149. *Nota 4tò.* Si dicatur. Quomodonam Mons Calvariæ esse potuit locus publicus supplicii, siquidem legitur apud S. Joannem cap: 19. *Erat autem in loco ubi Crucifixus est, hortus, & in horto mo-*

numentum novum &c: *Respondet* Cardinalis Toletus in cap: 19. Joannis. *Erat in loco, id est, prope locum, ubi Crucifixus est: quia illa pars agri & montis, ubi Crucifixus est, non erat pars horti, sed proxima horto, nisi velis locum appellari, totum illud spatium, quod dicebatur Golgotha, in quo & pars illa montis, ubi Crucifixus est, & hortus iste concludebatur; hoc totum, Joannes, locum, ubi Crucifixus est Dominus, vocat. Ideo dicit in loco fuisse hortum.* Hæc Toletus. Similiter Respondent & plurimi alii Interpretes Sacræ Scripturæ. Porrò hortus hic distabat à loco Crucis, spatiô octo & centũ pedũ, meridiẽ versus: quod notāt illi qui loca Sacra descripserunt. ut refert Lucas Brugensis in cap: 19. Joan.

150. *Nota 5tò.* Christus D. ita fuit Cruci affixus, ut facie ab Hierosolymis aversâ, (quasi, *ut notat Cornelius à Lapide cum aliis*, qui ejus hostis, indignus esset eam intueri; sed revera quasi improbos Judæos reprobaturus, & Gentes electurus, & impleretur illud, quod Judæis prædictum est à Jeremia cap: 18. versu 17. *Dorsum, & non faciem ostendam eis, in die perditionis eorum.* & Psalmô 65. versu 7mô. *Oculi Ejus, super Gentes respiciunt.*) Occidentem spectaret; ut testantur Sancti Patres. Damascenus lib: 4. Fidei. Cap: 13. *Dominus cùm in Cruce penderet, ad Occasum prospiciebat, eoq; nomine, ita adoramus, ut Eum obtueamur.* Et Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Theoria rerum Sacrarum, quæ exstat in Bibliotheca Sanctorum Patrum. Tomô 6. Edit: 2, *Christus* (inquit) *Cruci affixus, ad Occidentem erat intuens; Ejus verò venerandarum manuum, altera in Meridiem, altera in Septentrionem erat extensa.* Idem dicit S. Beda in cap: 23. Lucæ & alii Patres. *Adverte.* Ex eo, quòd Christus Crucifixus, Occidentem spectabat, ex hoc Christiani ex Apostolorum institutione orant ad Orientem, ut quasi jam præsentes ante Crucifixum, in faciem illam Angelis desideratam intendant. Inde item est, quòd Templa Christianorum respiciant Orientem, in quibus Imago Christi in Cruce pendentis Occidentem prospicit, quam qui aspiciunt & adorant, necessariò Orientem spectant. Ut testantur Sancti Patres, Damascenus, Clemens Romanus, S. Basilius, Athanasius. quorum verba citat noster P. Gretserus lib: 1mô de S. Cruce. Cap: 25.

Christus D. facie ad Occidentem versâ crucifixus est.

QUÆSTIO XXII.

Fuitne conveniens Chriſtum D. pati in Cruce?

Convenientiæ hujus Ratio multiplex affertur ex S. Thoma.

151. RESpondet Doctor Angelicus S. Thomas 3. p. Quæſtione 46. Articulo 4. *Convenientiſſimum fuit Chriſtum pati mortem Crucis.* Probatq; id ipſum ſeptem rationibus [*Primò* quidem propter exemplum Virtutis. Dicit enim Auguſtinus (lib. 83. Quæſt: 25. in pr. to. 4tô) Sapientia Dei, hominem ad exemplum, quô rectè viveremus ſuſcepit. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipſam non timeant, genus tamen mortis horreſcunt. Ut ergo nullum genus mortis rectè viventi homini metuendum eſſet, illius Nominis Cruce oſtendendum fuit: nil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabiliùs & formidabiliùs. *Secundò*, quia hoc genus mortis, maximè conveniens erat ſatisfactioni pro peccato primi Parentis, quòd fuit ex eo,.quod contra mandatum Dei, pomum ligni vetiti ſumpſit. Et ideo conveniens fuit, quòd Chriſtus ad ſatisfaciendum pro illo peccato, ſe Jpſum pateretur ligno affigi, quaſi reſtituens, quod Adam ſuſtulerat. Secundùm illud Pſal: 64. *quæ non rapui, tunc exſolvebam.* *Tertia Ratio* eſt, quia ut Chryſoſtomus dicit in ſermone de Paſſione. in excelſo ligno & non ſub tecto paſſus eſt, ut etiam ipſius natura àëris mundetur; ſed & ipſa terra ſimile beneficium ſentiebat, decurrentis de latere ſanguinis ſtillatione mundata. *Quarta Ratio* eſt, per hoc quòd in alto moritur, Aſcenſum nobis parat in Cælum. *Quinta Ratio* eſt, quia competit hoc univerſali ſalvationi totius Mundi. Chryſoſtomus etiam dicit, quòd in Cruce expanſis manibûs moritur, ut altera manu veterem populum, alterâ eos, qui ex Gentibus ſunt, trahat. *Sexta Ratio* eſt, quia per hoc genus mortis, diverſæ virtutes deſignantur. *Septima Ratio* eſt. quia hoc genus

mortis,

mortis, plurimis figurìs respondet, ut enim Divus Augustinus dicit in sermone de Passione: De diluvio aquarum humanum genus, arca lignea liberavit. De Egypto, Dei Populo recedente, Moyses, mare, virgâ divisit & Pharaonem prostravit, & Populum Dei redemit. Idem Moyses, lignum in aquam misit & amaram aquam in dulcedinem commutavit. Ex lignea virga, de spirituali petra salutaris unda profertur: Et ut Amalech vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibûs extenditur. & lex Dei, Arcæ Testamenti creditur ligneæ, ut his omnibus ad lignum Crucis, quasi per quosdam gradus veniatur.] Hucusq; S. Thomas. Cardinalis Cajetanus hìc in suo Commentario addit Octavam rationem. [quòd ideo mortem Crucis elegit, ut usq; ad ultimum, quatuor sensuum (scilicet, visûs, auditûs, olfactûs & gustûs ac linguæ) officiô uti licere posset, & ad cumulum passionis, videndo, audiendo, odorando gustandoq; contraria ignominiosa &c: & consummanda Mysteria, quæ verbis in Cruce dictis explevit & commendando Matrem, & Latronem exaudiendo &c.] *Ex Card: Cajetano.*

Pater Suarez in suo Commentario in tertiam partem, prædictas septem rationes S. Thomæ eleganter & fusè illustrat & confirmat.

152. Pater Cornelius à Lapide in cap: 27. Matthæi v. 35. ex Sanctis Patribus congerit etiam rationes sex. Sunt autem hæ. Prima. Ut sicut Adam & Eva peccârunt, extendendo manus ad lignum vetitum: sic Christus, peccatum hoc lueret, extendendo manus ad lignum Crucis. Ita S. Augustinus in Append: de diversis, Serm: 4. Unde canit Ecclesia *Per lignum, servi facti sumus, & per Sanctam Crucem liberati sumus.* Et. *Unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoq; vinceretur.* Et ipse Christus Cant: 8. *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est Genitrix tua.* Secunda. Ut pendens in àëre inter Cælum & terram, Cælites terrenis reconciliaret. ita S. Ambrosius in Lucæ cap: 23. *Ut non sibi soli* (inquit) *sed omnibus vinceret, manus in Cruce extendit, quo omnia ad se traheret; ut nodo mortis exuta, jugo fideli suspensa, Cæ-* *Ex Patribus.*

leſtibus ea quæ prius erant terrena, ſociaret. Hoc eſt quod & ait Chriſtus Joannis 12. *Ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me Ipſum.* Tertiam rationem dat S. Athanaſius de Incarnatione Verbi. *Nam ſi ideo venerat, ut noſtra piacula execrationeſq; portaret, quomodo alia ratione execratio aut piaculum fuiſſet, niſi execrabilem mortem in ſe recepiſſet? Eſt autem hoc ipſum Crux, quemadmodum ſcriptum eſt: Execrabilis quicunq; in ligno pendet.* Deuter: 21. verſu 25. & ad Galat: 3. verſu 13.

Accedit. Quòd in Cruce, omnia pœnarum genera concurrunt; quare illa Chriſtus in ſua Cruce complexus eſt, ut Martyribus daret exemplum, quælibet ſupplicia perferendi. Crux enim manus pedeſq; ſecat, ut gladius; corpus diſtendit, ut eculeus: lacerat, ut ungula: laniat ut beſtiæ: urit cruciatq;, ut focus: adeoq; lento quaſi igne hominem aſſat & necat &c: Quare Chriſtus, omnium Martyrum tormenta ſenſit, illaq; tibi repræſentavit, & pro ijs afflictus fuit, ut omnibus virtutem illa ſuperandi impetraret, ut ait. S. Laurentius Juſtinianus lib: de Triumphali Chriſti agone. Cap: 19. *In Stephano lapidabatur, in Laurentio aſſabatur, ſicque in ſingulis ſingula Martyrum cæterorumq; Juſtorum ſuſtinebat tormenta.* Quartam rationem dat S. Auguſtinus Appen: de diverſis Ser: 59. *Noluit* (ait) *lapidari, aut etiam gladiô percuti, quia videlicet, nos ſemper nobiſcum lapides aut ferrum ferre non poſſumus, quibus defendamur. Elegit verò Crucem, quæ levi motu manûs exprimitur, quâ & contra inimici verſutias munimur.* Quintam aſſignat S. Anſelmus in Epiſt: ad Philip: Cap: 2dô. *Tam peſſimam* (inquit) *mortem Salvator elegit, ut omnem mortem occideret.* Et ut S. Auguſtinus in Pſalm: 140. *Ut diſcipuli Ejus, non timerent, ſed nec genus mortis horreſcerent.* Sic & S. Thomas, ut vidimus ſuprà. Sextam dat S. Athanaſius de Incarnatione Verbi. *Dominus venit* (inquit) *ut diabolum præcipitaret, àéremq; purificaret, & viam ad Cælum nobis inveniret.*

153. *Nota.* Chriſti D. Crucifixionem prædixerunt longè antea Sybillæ, quarum una, ut habetur lib: 6to. Carm: Sybill, ait.

ait. *O lignum felix in quo Deus ipse pependit.* Testaturq; Sozomenus lib: 2dô Historiæ Ecclesiasticæ, Cap: 1mô. *Ipsos Gentiles ingenuè fateri, hoc esse Sybillæ carmen.* Librô item 8vô. Carm: Sybill: habentur hæc de Crucifixo Christo.

Sybillæ & Apollinis Oracula de Christi crucifixione.

Expandetq; manus, totum mensuret ùt Orbem.
Sincera hunc Moyses expressit brachia tendens,
Vi Fidei vincens Amalech, ut disceret esse
Electus Patri populus &c.

Apollo etiam edidit de Christo Ejusq; Cruce Oraculum. Sic enim Lactantius lib: 4. cap: 15. scribit. *Milesius Apollo consultus, utrumne Deus, an homo fuerit* Christus. Respondit græcîs versibûs, quæ latinè ita sonant.

Corpore mortalis sapiens ad facta stupenda,
Verùm à Judicibus Chaldæis captus & armis,
Clavis & palis mortem toleravit acerbam.

Habentur hæc apud Gretserum lib: 1. de S. Cruce. cap: 42.

QUÆSTIO XXIII.

Quonam tempore Christus Dominus est Cruci affixus?

154. RESpondeo 1mò. *Christus D. Crucifixus est feriâ 6tâ, hoc est die Veneris.* Constat id ex Matthæi cap: 27. ibi enim legitur, Christum Crucifixum & sepultum esse *in die Parasceves.* Et S. Marcus cap: 15. addit *quod est ante Sabbatum.* Id etiam constat ex communi sensu & traditione Ecclesiæ. Propter quæ, S Beda lib: de Ratione Temporum. cap: 45. dicit. *Nulli Catholico dubitare licet, Christum feriâ sextâ fuisse occisum.* Ideoq; etiam ab initio Ecclesiæ observatum est, ut Fide-

Christus D. cruci affixus est feriâ 6tâ.

les eo die à carnibus abſtineant: ut conſtat ex Patribus, quos citat Suarez, 3tia Parte. Diſput: 40. Sectione 5. Bellarminus & alii. Ex iiſdem Patribus, ſat multi, addunt, feriâ etiam Quartâ ſolitum eſſe ſervari Jejunium, quia in ea còáctum eſt Concilium, in quo de Morte Chriſti definitum eſt.

Die 25. Martii. 155. *Reſpondeo 2dò. Chriſtus Dominus eſt Crucifixus 25 Martii, in æquinoctio verno.* Ratio eſt, quia hanc Sententiam (ut inquit S. Beda lib: de Ratione Temp. cap. 28. & 45. Plures Eccleſiæ Magiſtri & Doctores tradiderunt. inter quos, eſt S. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate cap: 5. & alibi. S. Chryſoſtomus Sermone quodam de Nativit: Joan: Baptiſtæ. Tertullianus lib: contra Judæos. cap, 8. Hanc etiam Sententiam amplectuntur, S. Thomas, S. Antoninus, Platina, Uſuardus, Suarez, Cornelius à Lapide &c. Hi omnes etiam docent Chriſtum paſſum die 25. Martii; ita ut illo die præcisè expleverit 34. Annos à Conceptione & Incarnatione ſua.

Confirmatur Reſponſio. Quia Eccleſia in Martyrologio, die 25. Martii recolit memoriam S. Diſmæ Latronis, qui in Cruce, Chriſtum confeſſus, ab Eo meruit audire. *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Accedit. Quia juxta aliquorum ſententiam, (cui adhæret etiam noſter Cornelius à Lapide) eodem die immolatus eſt Isàác, fuitq; tranſitus Filiorum Iſràél per mare rubrum: quorum utrumq; fuit Typus Chriſti in Cruce pro nobis immolati: factaq; item victoria Michàélis Archangeli contra draconem: Eodemq; die creatum eſſe à Deo Mundum, aſſeritur.

In meridie. 156. *Reſpondeo 3tiò. Chriſtus D. die 25. Martii crucifixus eſt in meridie, vel propè meridiem.* *Ratio eſt.* quia S. Joannes ait cap: 19. verſu 14. *Erat hora quaſi ſexta.* ſcilicet ab ortu ſolis, quæ eſt in meridie. Confirmat id ipſum Communis ſenſus ac traditio Eccleſiæ, quæ habet Chriſtum ante mortem tribus horîs in Cruce pependiſſe: Conſtat autem mortuum eſſe horâ nonâ. Unde ſequitur, Eum crucifixum eſſe in ſexta hora. *Accedit ad Confirmationem Reſponſionis, & Congruentia hæc.* Quia, ut ait

ut ait Theophylactus. *Sexta die homo est conditus qui & sextâ horâ de ligno comedit; Qua igitur horâ Dominus hominem condidit, eâdem & lapsum curavit. Sextâ die & sextâ horâ Cruci affixus est.* Et S. Beda, Marcum enarrans dicit. *Rationis, imò Divinæ Pietatis ordo poscebat, ut qua horâ, primus Adam peccando, mortem huic Mundo invexerat, eâdem horâ, secundus Adam, mortem moriendo destrueret.* Constat autem ex Genesis cap: 3. ver: 8. Quòd Adam cibum vetitum gustavit meridie. Horâ etiam nonâ circa meridiem occidi solebat Agnus Paschalis, nec non tunc Judæi in Templo soliti erant juge sacrificium immolare; & sic demonstravit Christus se has figuras sua morte eodem tempore adimplere.

157. *Quod si contra 3tiam Responsionem objiciatur.* Utiq; S. Marcus cap: 15. versu 30. ait. *Erat autem hora 3tia, & crucifixerunt Eum.* Objiectio hæc, aliàs molesta, variè solvitur à Viris doctissimis Orthodoxis. Mihi placet solutio data à Cardinali Francisco Toleto, in cap: 19. Joannis. Annotatione 8vâ. verbis hîs. [Distinguendum est inter horas diei, & horas orationis, " & exercitii Sacrorum in templo. Nam invenimus aliquando " dici horam orationis, aliquando horam diei. Act: 2. *Cùm sit* " *hora diei tertia.* Et Act: 10. *Vidit quasi horâ diei nonâ Angelum.* " Act: 3. *Ascenderunt in templum ad horam orationis nonam.* Actor: " 10. *Ascendit Petrus, ut oraret circa horam sextam:* Horas diei " existimo in duodecim partes esse divisas, singulæq; nomen " à numero accipiunt; ast horæ orationis quatuor erant, prima, tertia, sextá, nona, singulæq; tres diei horas continebant, durabantq; " singulæ usq; ad principium sequentis: prima usq; ad tertiam " diei, tertia usq; ad sextam, sexta usq; ad nonam, nona usq; ad " occasum & finem diei; quam consvetudinem Ecclesia nostra " retinuit. Marcus ergo horam tertiam dixit, juxta Templi & " Orationis computationem, quæ usq; ad sextam diei durabat: " Joannes item horam sextam orationis expressit: finis enim tertiæ, erat principium sextæ; quia Evangelistæ mortem Domini describentes, tanquam sacram rem, & Mysterium divinum, "

Objectio in contra solvitur.

„ horîs templo deputatîs deſcripſerunt: quæ etiam illo tempo-
„ re erant receptæ apud Chriſtianos: horîs autem Judæorum,
„ nempe, quibûs dies in duodecim partes, & in totidem nox
„ dividebatur, non omnes utebantur. Evangeliſtæ ergo, quod
„ erat communius, ſecuti ſunt.] Hucuſq; Toletus S. R. E. Præſbyter Cardinalis primus è Societate JESU: Theologus ſummus, ingeniorum Prodigium, Concionator inſignis Summorum Pontificum per Annos viginti quatuor, Legationibûs Apoſtolicis & aliîs pluribus laboribus, de Ecclesia Catholica optimè meritus. Obiit Romæ, Annô 1596. die 14. 7bris.

Objectionem eandem, ſimiliter videtur (ſed laconicè) ſol-
„ vere Cornelius à Lapide: [Erat hora (*inquit*) 3tia, ut dicit Marcus,
„ non incipiens, ſed finiens: finis autem horæ tertiæ, erat ini-
„ tium ſextæ; hæ enim horæ olim apud Júdæos & Romanos ter-
„ nas modernas continebant.]

QUÆSTIO XXIV.

De primis duobus Verbis ſeu Sententiis à Chriſto D: Cruci jam affixo, prolatis

Quiſnam ordo Verborum Chriſti in Cruce?

158. P*Ræmitto.* Certum eſt ex Evangelio, quòd Chriſtus D: Cruci affixus, ſeptem ſententias ſeu Verba protulerit: quonam autem ordine, ea protulerit, etſi id non habeatur in Sacra Scriptura, nec ullus Evangeliſta, omnium ſimul ſeptem Verborum meminit; tamen ex communi Patrum & Scripturæ Sacræ Interpretum ſenſu habetur, illa ſeptem Verba ex Cathedra Crucis prolata eſſe, hoc ordine. *1mum Verbum* ſeu Sententia fuit. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* ut legitur apud Lucam cap: 23. verſ: 34. *2dum Verbum* ad Latronem. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* ut eſt eodem capite

citato,

citatô, versu. 43. *3tium* Christi Verbum ad Matrem. *Mulier, ecce filius tuus.* & ad Joannem. *Ecce Mater Tua.* ut refert ipsemet Joannes cap: 19. v. 27. (observat hìc Pater Salmeron cum quibusdam. Duo quidem fuisse Verba. alterum ad Matrem, alterum ad Joannem, ita ut verè dici possit, octo fuisse Verba Christi in Cruce; sed hæc duo, communissimè pro uno computantur, eò, quòd conjunctim, & sub uno contextu fuerint à Domino dicta.) *4tum* fuit Verbum. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* ut scribit Matthæus cap: 27. v. 46. & Marcus cap: 15. v. 34. *5tum* Verbum. *Sitio.* ut habetur Joannis cap: 19. v. 28. *6tum* Verbum. *Consummatum est.* ut idem Joannes ibidem refert v. 30. *7mum* Verbum. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* ut legitur apud Lucam cap. 23. v. 46.

In præsenti Quæstione, per Quæsita & Responsiones agetur de primo & secundo Verbo.

159. *Quæritur 1. Christus D. hac Oratione sua: Pater dimitte illis. Quidnam obtinuit?* *Respondeo 1.* Verbis S. Leonis Papæ, Sermone 11. de Passione Christi. *De hujus Orationis potentia fuit, ut Petri Apostoli prædicatio, ex iis, qui dixerunt: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. multorum ad pœnitentiam corda converteret: & una die ferè tria millia baptizarentur Judæorum* (ut habetur in Actis Apostolorum. cap: 2. nec non postea quinq; millia; item multa turba Sacerdotum. ut habetur in iisdem Actis cap. 4. & cap. 6.) *fieretq; cor unum & anima una, paratorum jam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi.* Illâ item Oratione obtinuit Christus veniam pænitentibus, & auxilium sufficiens, quô pœnitere possent. Multi etiam censent (ut testatur Magnus Suarez) confessionem Latronis, & Centurionis, & eorum qui *revertebantur, percutientes pectora sua.* Lucæ 23. v. 48. huic Christi Orationi esse adscribendam.

Quinam effectus Orationis Christi de Cruce precantis?

Respondetur 2. Illa Oratione Christus D: obtinuit quòd cùm mererentur Judæi propter tam enormissimum scelus, ut multò magìs, quàm olim Core Dathan & Abirom (ut habetur in Libro Numerorum cap: 16.) exnunc terra os suum aperiret

 & devo-

& devoraret eos, cum univerſa ſubſtantia eorum, deſcenderentq; vivi in infernum: vel aliò exnunc acerbiſſimô & publiciſſimô ſuppliciô punirentur; tamen dilata fuit pœna hujus nefandiſſimi ſceleris Judæorum ad annos quadraginta, &, ſi interea gens illa pœnitentiam egiſſet, ſalva, incolumiſq; manſiſſet. Sed quia pœnitentiam non egit, immiſit in eos Deus, Veſpaſiano Imperante, exercitum Romanum, qui (ut narrat Joſephus Judæus, oculatus teſtis, librô 6tô) circa Jeruſalem tres aggeres erexit, dein ſolius tridui ſpatiô, totam Urbem murô cinxit, per circuitum Urbis, murum triginta novem ſtadiorum exſtruendo, ut nulli pateret exitus vel tranſitus; ad tantaſq; famis ærumnarumq; anguſtias redegit inhabitantes Jeruſalem, ut & matres filios ſuos devorarent. Vide etiam dicta ſuperiùs in Quæſtione VII. paginâ 78. numerô 80.

160. *Quæritur 2dò.* Quomodonam intelligenda illa Chriſti verba? *Non enim ſciunt, quid faciunt.* Licet enim Pilatus & Judæi non cognoverunt Chriſtum eſſe Dominum gloriæ, verè enim S. Paulus ſcripſit. 1. ad Corinth. cap. 2. *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Sed tamen Pilatus (ut rectè cum aliis notat Card: Bellarminus) cognovit Eum fuiſſe Virum juſtum & Sanctum, & à Principibus Sacerdotum per invidiam traditum: agnoverunt item Principes Sacerdotum, illum verè eſſe Chriſtum in lege promiſſum, ut S. Thomas docet in locum citatum S. Pauli: negare enim non poterant, nec negabant Eum multa ſigna facere, quæ Meſſiam facturum, Prophetæ prædixerant: cognovit demum populus, Chriſtum ſine juſta cauſa damnari, palàm clamante Pilatô (ut legitur Lucæ 23. & Matthæi 27.) *Nullam cauſam invenio in eo. & innocens ego ſum à ſanguine Juſti hujus.* imò Judæi potuiſſent cognoſcere Chriſtum eſſe Dominum gloriæ, niſi malitia excæcaſſet corda eorum, teſte S. Joanne cap. 12. *Cùm tanta* (inquit) *ſigna feciſſet* (Chriſtus) *coram eis, non credebant: quia dixit* Iſaias (cap. 6tô) *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, ut & videntes non videant, & audientes non audiant, & convertantur, & ſanem eos.* Excæcatio

verò

verò non excusat excæcatum, quia voluntaria & concomitans est, non præcedens. Respondet ergo ad hoc quæsitum Card: Bellarminus, Verba hæc. *Dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* intelligi primùm possunt de crucifixoribus gentilibus, quos probabile est, penitus ignorâsse, Christi non solùm divinitatem, sed etiam innocentiam, & simpliciter functos officiô suo; pro his ergo verissimè Christus dixit. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Si verò intelligatur de iis, qui præsentes erant & Christum esse Messiam, vel innocentem esse hominem non ignorabant, tunc dicendum erit; Christi charitatem tantam fuisse, ut peccatum inimicorum suorum, extenuare voluerit eô modô, quô poterat. Quamvis ignorantia illa simpliciter non excuset, tamen rationem aliquam, quamvis tenuem excusationis habere videtur: quia graviùs peccassent, si omni prorsus ignorantiâ caruissent: & quamvis non ignoraret Dominus excusationem illam, non tam excusationem, quàm umbram excusationis esse, voluit tamen illam afferre, ut ex illa intelligeremus, bonam ejus voluntatem erga peccatores, & quàm avidè arripuisset excusationem meliorem etiam pro Caipha & Pilato, si illa melior & rationabilior inveniri potuisset. Hæc Eminentissimus Robertus Bellarminus, qui purpurâ à Clemente VIII. est decoratus cum hoc elogio. *Hunc eligimus, quia non habet Ecclesia parem, quò ad doctrinam.* Virtute verò parem S. Carolo Borromæo, Urbanus VIII. dixit.

Explicantur Verba hæc Christi, nesciunt, quid faciunt.

161 *Quæritur 3. Quænam Causæ, Latronem bonum adduxerunt ad conversionem?*

Præmitto. Apud S. Lucam cap. 23. legitur. *Ducebantur & alii duo nequam cum Eo* (id est Christo) *ut intersicerentur & postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt Eum, & látrones unum à dextris, & alterum a sinistris. Unus autem de his qui pendebant latronibus blasphemabat Eum, dicens. Si tu es Christus, salvum fac te ipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: neque tu times Deum, qui in eadem damnatione* (id est supplicio crucis cum Christo & mecum) *es? & nos*

quidem juſtè (damnati verſamur in hac damnatione, id eſt pæna crucis) *nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Jeſum: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. & dixit illi JESUS: Amen dico tibi:* [*Hodie mecum eris in paradiſo.* Quis non ſtupeat ſuper hanc confeſſionem Latronis? Apoſtolus Petrus (ut ſapientiſſimè conſideravit Bellarminus) negat, & quidem ter, & ſub juramento negat, ſe noſſe Chriſtum: & en Latro cruci affixus, in graviſſimo dolore & anguſtiis poſitus, confitetur Eum eſſe Dominum & Regem! Diſcipuli duo euntes in Emmaus (nempe Cleophas, ut certum, qui fuit frater S. Joſephi Sponſi B. Virginis. & Lucas, ut, pleriq; cenſent) dicebant: *Nos autem ſperabamus.* Lucæ 24. Latro autem palàm confidenter dicit: *memento mei dum veneris in Regnum tuum!* Thomas Apoſtolus, niſi videat Chriſtum reſurrexiſſe, negat ſe crediturum. Joannis 20. Et en Latro in Cruce Chriſtum cruci affixum aſpiciens, Regem poſt mortem futurum non dubitat! Dominum vocat, quem nudum, vulneratum, dolentem, palàm irriſum, & deſpectum ſecum pendere conſiderat; dicitq; venturum poſt mortem in Regnum ſuum! Hoc præmiſsò.

Admiranda Latronis boni confeſſio.

Quid movit Latronem ad converſionem?

162. *Reſpondetur ad quæſitum 3tium, verbîs S. Leonis Papæ,* " Sermone 2. de Paſſione. [Latronum unus ad id uſq; tempo-" ris, par, ſimiliſq; conſorti, inſidiator viarum, & ſaluti homi-" num ſemper infeſtus, uſq; ad crucem reus, fit Chriſti repen-" te Confeſſor: & inter illos acerrimos corporis animiq; cru-" ciatus, quos ſimul & inſtantia, & difficultas mortis augebat, " mira converſione mutatus, *Memento* (inquit) *Domine, dum* " *veneris in Regnum Tuum.* Quæ iſtam fidem Exhortatio perſva-" ſit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? non vi-" derat prius NB. acta miracula, ceſſaverat tunc languentium " curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum, ea ipſa, " quæ mox erant gerenda, NB. non aderant, & tamen Domi-" num confitetur, & Regem, quem videt ſupplicii ſui eſſe con-" ſortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides

ipsâ responsum.] Idem cum S. Leone respondet S. Cyrillus Jerosolymitanus Episcopus (qui floruit Annô Christi 360.) dicens Catechesi 13. *Quæ virtus illuminavit te ò Latro? quis te docuit adorare contemptum & simul cruci affixum? O Lumen perpetuum illuminans obscuratos.* Eandem sententiam fusè prosequitur S. Augustinus, sermone 130. de Tempore. S. Chrysostomus sermone de Latrone. Et Sermone 1. de Cruce & Latrone. Communis proinde Responsio Sanctorum Patrum est, quòd Latro interiùs per raram & pænè miraculosam DEI motionem & illustrationem, ad tántam fidem & confessionem excitatus fuerit, sicq; plenè conversus ad Christum. Assentior tamen etiam Theophylacto, Euthymio, Blosio, Cornelio à Lapide, Raynaudo, & aliis pluribus, qui docent externam aliquomodo causam instrumentalem conversionis ejus fuisse, quòd plurimarum virtutum exempla conspexerit in Christo Cruci affixo: eximiam nempe charitatem, quâ illum pro crucifixoribus intensè orantem audierat, patientiæ, fortitudinis, modestiæ, religionis ac virtutum omnium. Unde à Spiritú Scientiæ & pietatis commendatus Blosius, in Meditationibus de Passione dicit. [Specimen tam il- " lustre animi non consternati, nec malis cedenti, exhibuit " in Cruce Christus, ut Latronem & quoscunq; probos æstima- " tores permovere validè potuerit ac debuerit.]

163. *Si quæratur. Causavitne etiam conversionem Latronis, consideratio tot & tantorum mirabilium, quibus Deus Unigeniti sui mortem condecorāvit?*

Respondeo. Contra nonnullos antiquos, cum sententia communiori Patrum & Theologorum Classicorum ferè nunc omnium, ac Interpretum, *Negativè. Ratio est.* Quia, exceptîs tenebrîs, cætera omnia illa mirabilia contigerunt mortuô jam Christô, ut patet ex Evangelio; cùm tamen, ex eodem Evangelio perspicuum sit, Latronem conversum esse vivente Christo: Solis autem defectio & tenebræ post Latronis conversionem à S. Luca narrantur. *Confirmant* etiam hanc Responsionem verba suprà citata S. Leonis.

Viditne Latro facta prodigia in morte Christi?

Problema eſt. An etiam bonus latro, primò non improperaverit Christo?

164. *Quæritur 4tò. An etiam bonus Latro ante ſui converſionem, convitiis proſcidit & blaſphemiis oneravit Chriſtum?*

Reſpondetur. Pro Parte affirmativa eſt Ratio duplex. 1. Quia S. Matthæus cap: 27. poſt recenſitas Judæorum in Chriſtum ſannas, ait. *Idipſum autem & Latrones, qui crucifixi erant cum Eo, improperabant Ei.* Sanctus item Marcus cap. 15. apertè dicit. *Qui cum Eo crucifixi erant, convitiabantur Ei.* 2da *Ratio:* quia ita ſentiunt Sancti Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus, Cyrillus Jeroſolymitanus, Hilarius. Item Origenes, Theophylactus, Euthymius & alii. E contra pro parte negativa ſunt itidem duæ Rationes. 1. Quia S. Lucas expreſsè dicit, unum blaſphemâſſe, alterum confeſſum eſſe Chriſtum. 2da *Ratio.* Quia non blaſphemâſſe Latronem bonum, cenſent S. Auguſtinus, S. Epiphanius, S. Anſelmus & alii multi. nec non Bellarminus, Suarez Maldonatus & plurimi recentiores idem aſſerunt. Tandem S. Ambroſius, S. Thomas, utramq; partem ſub dubio relinquunt. S. enim Ambroſius lib: 10. in Lucam dicit: *Fortaſſe & iſte priùs convitiatus eſt, ſed repente converſus.* & infra. *Potuit enim de uno pluraliter dicere, ſicut eſt illud ad Hebræos 11. In pellibus caprinis, ſecti ſunt, obturaverint ora Leonum: cùm ſolus Elias, melotem habuiſſe, Iſaias ſectus eſſe, Daniel à leonibus intactus manſiſſe doceatur.* Et S. Thomas in 3. partem. Quæſtione 46. Articulô 11. ait. *Ad tertium dicendum. quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib: 3. de conſenſu Evangeliſtarum. cap. 16. poſſumus intelligere, Matthæum poſuiſſe pluralem numerum, pro ſingulari: cùm dixit Latrones improperabant Ei. Vel poteſt dici ſecundùm Hieronymum: quòd primùm uterq; blaſphemaverit, deinde viſis ſignis, unus eorum crediderit.* Porrò pluralem numerum pro ſingulari, quandoq; etiam in Sacra Scriptura poni, conſtat. Pſalmô enim 2. v. 2. dicitur. *Adſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum, adversùs Dominum & adversùs Chriſtum eius.* Cùm unus tantùm Rex Herodes, ut S. Petrus Act. 4. v. 26. & 78 interpretatur, adversùs Chriſtum convenerit; conſtat item ex Epiſtola S. Pauli ad Hebræos cap: 11. ut adducit S. Ambroſius ſuprà.

165.

165. *Quæritur 5tò. Quidnam intelligitur Nomine paradisi. dicente Christo: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso?* *Respondetur.* Nomine Paradisi, non intelligi Paradisum terrestrem, ad quem raptus fuit Enoch. Tum quia Christum ea die fuisse post mortem cum corpore in sepulchro, cum anima ad inferos, id est ad limbum Patrum descendisse, disertis verbîs symbolum fidei tradit; non verò ivit tunc Christus ad paradisum terrestrem. Tum quia probabiliùs est, in diluvio Nòe, cùm aquæ per annum integrum totam terram occuparent, paradisum quoq; iîs obrutum, violatum & dissipatum fuisse: idq; satìs indicare videtur Moyses cap: 7mô Genesis. ver. 19. Idem ex eo etiam videtur confirmari, quòd nusquam paradisus inveniri possit; cùm tamen tota terra præsertim circa Mesopotaniam & Armeniam (circa quas regiones probabiliter fuit paradisus) planè sit cognita & habitata. Tum quia datô, superesse paradisum, ille non animarum sed corporum duntaxat lætum & felix est habitaculum. ut rectè annotat Cornelius à Lapide. Verissimè autem & propriè Latroni dixit Christus: *hodie mecum eris in Paradiso;* quia (ut rectissimè explicat Bellarminus) illa ipsa die communicaturus erat tum animæ boni Latronis, tum animabus omnium Sanctorum apud inferos degentium, gloriam Visionis Dei, quam ipse ab ipsa conceptione acceperat; hæc enim est gloria, sive felicitas essentialis, atq; id bonum, quod est præcipuum in cælesti paradiso.

Quisnam Paradisus appromissus Latroni?

166. *Quæritur 6. Christus D. dicendo: hodie mecum eris in paradiso: per vocem hanc: hodie: intelligiturne dies artificialis.* ut sit sensus. *Hodie,* id est ante Solis occasum; *an intelligitur de die naturali:* & ita potest extendi usq; ad mediam noctem? *Respondetur* cum Eximio Doctore Patre Suarez. Sanctorum doctrinæ magìs est consentaneum, ac ferè certum est, Latronem statim post obitum, sinè ulla mora fuisse beatum. *Ratio est.* Tum quia credendum est, conversionem adeo miraculosam, fuisse ita perfectam, ut integram remissionem culpæ & pœnæ consecuta sit. Tum quia opera Christi erant perfecta, & verba ejus

Hodie, in Christi promisso, quid denotat?

U

ba ejus indicant pleniſſimam remiſſionem. Tum quia etiam tormentum crucis & confractio crurium illi potuerant ad plenam ſatisfactionem valere.

Adverte. Biblia hæreticorum Tigurina ex Græcorum Schiſmaticorum officina, legunt *Amen dico tibi hodie*: ac poſtea ſubjungunt. *Mecum eris in paradiſo.* Sed ejuſmodi lectio eſt manifeſtè contra ipſam rationem, ut enim bene arguit P. Salmeron: An non quæcunq;, illa feriâ ſextâ locutus eſt Chriſtus, poſſent dici. *Ego dico tibi hodie?* Adhæc. Latro petierat, ut quando veniret in regnum, ſui meminiſſe vellet: Chriſtus munificentiam ſuam oſtendere volens, non promittit in futurum, quòd ſui recordari vellet, ſed quod multò majùs eſt, magìſq; divinam bonitatem illuſtrat ac liberalitatem. *Hodie* (inquit) *mecum eris in paradiſo.* id eſt. Hoc ipſo die ſatiaberis & implebitur deſiderium tuum, verbumq; meum, exitum habebit. Unde & Sanctus Ambroſius, Sermone 8. ſuper Pſalmum 118 prædicta verba Chriſti ponderans, ait. *Futurum promittit, ſed id quod futurum eſt, unius diei ſpatiô non patitur protelari.*

Ad uberiorem notitiam eorum, quæ concernunt Latronis converſionem, & Eruditionis gratiâ.

167. *NOta imò.* Nonnulli eruditi Scriptores Catholici (inter quos Jacobus de Voragine. Serm: de Innocent: Ludolphus lib: 1. cap: 17. Dionyſius Rickel ſeu Richelius, vulgò Carthuſianus, de Vita Chriſti. part 1. cap. 13. P. Franciſcus Mendoza. Tomô 2. in lib. 1. Regum. Annotatione 12. Sectione 2. num: 13.) opinantur, ideo bonum Latronem reſipuiſſe: quia DEipara inter Crucem Filii, & crucem Latronis poſita, Filium pro Latrone deprecabatur, hoc ſuô beneficiô antiquum latronis beneficium recompenſans. Qualenam autem obſequium præſtiterit Latro, DEiparæ, ejuſq; Filio; præter Carthuſianum locô ſuprà citatô, alioſq;, refert Petrus Exquilinus verbîs hîs.

Hiſtoria refertur de beneficio, quod dicitur olim B. Virgini præſtitiſſe bonus Latro.

„ [Fuit Latro hic, Ægyptius natione, ut habetur in Compilatione
„ Damaſceni; qui tempore, quô Chriſtus in Ægyptum fugatus eſt

est, prædo erat: & in quodam nemore habitaculum habens, "
transeuntes cum sociis spoliabat. Cùm autem Joseph cum "
Maria & Puero, in Ægyptum fugientes, illac transitum facerent, "
occurrit eis Dysmas, ut eis substantiam auferret: visâ ve- "
rò Virginis mansvetudine & Pueri speciositate, admiratus "
substitit, & quasi divinitùs inspiratus, hoc verbum protulit: "
Non esse possibile, Puerum ab homine genitum, tanta pul- "
chritudine esse decoratum: &, si possibile esset, ut Deus habe- "
ret filium, elegantissimum illum infantem, diceret ex aliquo "
Numine generatum. Igitur & propter Pueri speciem, & Ma- "
tris aspectum placabilem, non solùm ab eorum deprædatio- "
ne abstinuit, sed etiam eos in illa nocte in domum propriam "
introduxit, & necessaria ministravit. Habebat autem uxorem "
& filium tot ulceribus plenum, ut leprosus videretur: cùm au- "
tem uxor Dysmæ, puero JESU balneum præparâsset, & Vir- "
go Christum balneâsset; Latronis conjux, quasi divino instin- "
ctu puerum suum in eadem aqua balneavit, sperans quodam- "
modo ex quadam latente virtute, quam in Filio Virginis esse "
cogitabat, filium suum ulcerosum, posse sanitatem suscipere; "
quod & factum est. Mox enim, ut puerum ulcerosum, aqua "
illa tetigit, sine ulla macula mundatus, de balneo ascendit, "
quod videns Dysmas, Puerum JESUM cum Matre, ut Deos ado- "
ravit, & eosdem usq; ad civitatem cum securo comitatu asso- "
ciavit. Dicitur quoq; quòd Puer JESUS in recessu suo Latro- "
nem allocutus, pro humanitate sibi impensa, eidem in Regno "
Patris sui præmium se retributurum promisit. Tempore igi- "
tur mortis Christi, Dysmas cum alio latrone, nomine Gestas, "
pro facinoribus suis à Judæis capti, cum Christo, morti cru- "
cis adjudicantur, & Dysmas quidem propter hoc aliter non co- "
gnoscens à dextris ejus, Gestas verò à sinistris crucifixus est: "
& cùm JESUM omnis populus blasphemaret, ipsi quoq; am- "
bo Latrones qui crucifixi erant cum eo, improparabant ei, "
ut duo Evangelistæ testantur. Cùm autem sol ad meridiem "
tenderet, & latus Christi radiô suô feriens, umbram ejus ver- "

" sùs dextram partem emitteret; gyrante ſole, ut umbra Corpo-
" ris Chriſti ſuper Latronem à dextris exiſtentem deſcendit,
" virtus divinitatis ejus in corde illius ſubintravit; videnſq; quali-
" ter Chriſtus pro inimicis, Patrem obſecraverat, compunctus
" eſt, & continuò in Chriſtum credens; non ſolùm, ut dicit
" Lucas Evangeliſta, conſocium de blaſphemia increpavit, ſed
" etiam JESU miſericordiam imploravit.] Hucuſq; verba ipſa Petri Exquilini.

Non multùm abſimilem Hiſtoriam refert. S. Anſelmus in Libro ad Sororem de Beneficentia Dei, P. 2. adduntur tamen hæc in illa Hiſtoria apud S. Anſelmum de Latrone incidente in
" Chriſtum parvulum cùm in Ægyptum deferretur. [Prædâ
" potitus Latro, cum parvulum in Matris gremio comperiſſet,
" tanta ei in ejus ſpecioſiſſimo vultu, ſplendoris majeſtas ap-
" paruit, ut eum ſupra hominem eſſe non ambigeret, incale-
" ſcenſq; amore, amplexatus eſt eum. Et ô (inquit) beatiſſi-
" me parvulorum, ſi aliquando ſe tempus obtulerit, mihi miſe-
" rendi, tunc memento mei, & hujus temporis noli oblivíſci.
" Ferunt hunc eſſe Latronem, qui ad Chriſti dextram crucifixus
" eſt, cùm alterum, blaſphemantem corripuiſſet, dicens. *Neq;*
" *tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & nos quidem ju-*
" *ſtè, nam digna damna factis recipimus, hic autem nihil mali fe-*
" *cit.* converſus ad Dominum, Eum in illa, quæ in puerulo
" apparuerat intuens majeſtate, pacti ſui non immemor. *Me-*
" *mento* (inquit) *mei cùm veneris in Regnum tuum.*] Hæc S. Anſelmus.

B. Virginis interceſſio & Umbra Chriſti cauſârunt-ne etiam converſionem Latronis?

168. Quidquid ſit de veritate & certitudine hiſtoriæ allegatæ, tamen cum Patre Theophilo Raynaudo, veriſimilè admodum cenſeo, ex quo prima Latronis vox in Chriſti favorem erupit: B. Virginem, quæ adſtabat, ſuîs ad Deum precibûs bonam Latronis mentem divinitus inditam firmâſſe tacitîs precibûs, quibus enixè rogabat æternum Patrem, ut hoc in Latrone confirmaret, quòd in eo operatus fuerat. Nec improbo ſententiam Spinelli in Opere de DEipara cap. 25. Carthuſiani, Petri Men-

dozæ

dozæ & aliorum quorundam; deprecationem B. Virginis pro Latronis salute, fuisse etiam causam ejus conversionis.

169. *Nota 2dò.* S. Vincentius Ferrerius, Vir Apostolicus & Prædicator Verbi Divini zelozissimus, Conc: in Parasceve, & Serm: in fer: 4ta majoris hebdomadæ. refert, nec improbat sententiam eorum, qui asseruerunt, quòd umbra Brachii Christi D. in Latronem incidens, fuit etiam ei salutis causa: eandemq; sententiam item post amplexi sunt, Exquilinus Episcopus, Jacobus de Voragine, Spinellus & nonnulli alii. Horum sententiam & Ego cum Patre Raynaudo saltim verisimilem censeo. Si enim umbra Petri, Christi Discipuli, sanabat infirmos. ut legitur in Actis Apost: cap: 3. & Umbra refossæ Crucis, ægrum sanavit: ut refert antiquus Auctor Alexander, in Oratione de Crucis Inventione: quantò magìs umbra ipsius Christi D. pendentis in Cruce, rectè dicatur causâsse etiam spiritualem Latronis sanitatem? Quæ verò in contra à quodam objiciuntur, non difficulter solvit Eruditissimus P. Raynaudus.

170. *Nota 3tiò* Ex & cum Magno Suarez 3. p. quæst: 46. art: XI. Etsi non repugnet Evangelio, neq; rationi ulli certæ, si dicatur, quòd Latro priusquàm datus est in custodiam, Christi prædicationem audierit, miraculaq; conspexerit, & fortè in ipsum crediderit: unde & S. Augustinus Tomô 7. lib: 1. de Anima & ejus Origine. cap. 9. sub dubio relinquit, an fuerit antea baptizatus baptismô Christi. dicens, *Eum* (id est Latronem) *antequam damnaretur, baptizatum non fuisse, quoniam nemo nostrûm novit, nemo convincit.* Tamen non est recedendum à Communi Sententia Patrum, qui ubiq; sentiunt Latronem illum, in cruce cæpisse credere in Christum: quod, præter S. Leonem & S. Cyrillum suprà citatos paginâ 150. numerô 162. affirmat ipsemet S. Augustinus lib: 4. de baptismo contra Donatistas. cap: 22. & sequent: nec non S. Cyprianus, Serm: de Cæna Domini. Et S. Gregorius lib. 18. Moralium, cap. 23. dicens: *Fidem, Spem, & Charitatem, virtutes has cunctas, subitâ repletus gratiâ, & accepit Latro & servavit in cruce.*

Latro bonus an ante Crucem, Christo credidit?

Latro bonus. Fuitne Martyr?

171. *Nota 4tò.* Multi è Sanctis Patribus (quorum verba adducit P. Raynaudus cap: 12mô. in libro cui Titulus. *Metamorphosis Latronis in Apostolum.* & Cornelius à Lapide in cap: 23. Lucæ.) hunc Latronem vocant Martyrem. Porrò nonnulli Eruditi Scriptores cum Benedicto Fernandio, Carthagena, Coreno, Henriques, probabiliter censent, Latronem illum, ideo meritò vocari & esse Martyrem; quia milites, quando Latronis crura fregerunt, id non solùm effecerunt, quòd ita moris erat, NB. crucifixos hoc supplicii genere, antequam morerentur, afficere: sed simul etiam ex odio in Christum, quia viderant Latronem, coluisse Eum & tanquam Regem Cœli & Terræ confessum fuisse. Sustinens ergo Latro illata tormenta propter egregiam & præclaram, quam de Christo protulerat confessionem, Martyr appellandus est. Alii quidam cum Bonacio, Disput: 2. de Sac: quæst. 1. p. 2. censent, S. Latronem esse Martyrem ob acceleratam illi mortem in odium Christi, quia non ita citò fuisset abreptus ad supplicium, nisi causa conciliandæ Christo ea societate infamiæ, impulisset Judæos. Doctor Seraphicus S. Bonaventura in 4tum librum sententiarum, distinct: 4. & alibi: ad Latronis Sancti Martyrium putat sufficere, quòd Latro jam justus, patientissimè tulerit mortem.

Boni Latronis Elogia.

172. *Nota 5tò.* Arnoldus Carnotensis, Abbas bonæ Vallis, Sancti Bernardi discipulus, eidemq; amicissimus, in suo laudatissimo Opusculo de septem Verbis Christi, asserit, Latronem bonum exaltatum esse supra omnes omnino Angelos & Luciferi thronum occupâsse. P. Stephanus Binertus lib; de bono Latrone, multîs approbantibûs Virîs doctîs, eum vocat Archangelum Paradisi, primogenitum Christi crucifixi filium, Apostolum & Prædicatorem totius Mundi. Censeo item cum P. Raynaudo, non esse improbabile, quòd Sanctum Latronem, sicut habuit Christus D. passionum & Crucis socium, sic habuisse quoq; Socium resurrectionis & integræ redintegrato homine consolationis. *Accedit.* quòd nullibi Sacræ ullæ S. Latronis exuviæ produntur.

175.

173. *Nota 6tò.* S. Augustinus, Tomô 7. lib. 1. de Anima & ejus origine. cap. 9. dicit de Latrone bono. *Non incredibiliter dicitur, Latronem qui tunc credidit, juxta Dominum crucifixum, aquâ illâ, quæ de vulnere Lateris ejus emicuit, tanquam Sacratissimô baptismô fuisse perfusum.* Sed in contra fortiter urget P. Suarez cum pluribus. Tum quia vix est credibile, aquam tanto impetu è latere exiliisse, ut Latronem attingeret; præsertim si verum est, hunc Latronem, dexteram Christi tenuisse, aquam verò de latere Christi sinistro manâsse. Tum quia nullus ibi fuit baptizans, cùm Christus esset jam mortuus, & fortè etiam ipsemet Latro. *An baptizatus?*

174. *Nota 7mò.* Qualenam fuerit huic bono Latroni Nomen, non est omnino certum. In Martyrologio Romano, 25. Martii, legitur. *Jerosolymis commemoratio Sancti Latronis, qui in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire. Hodie mecum eris in Paradiso.* Cardinalis Baronius in suis eruditissimis Notis ad Martyrologium, ad illam diem 25. Martii. dicit. [Pleriq; hunc " Latronem appellant Dismam, sed quoniam id ex apocryphis " proditur, qua de causa hìc nomen proprium consultò præter- " missum videtur. Reperiuntur autem S. Dismæ Latronis nomi- " ne, nonnulla sacella dicata & memoriæ erectæ eodem Titulo.] Plurimi tamen alii Scriptores sat graves, censent nomen ejus fuisse Dysmas. Gisman nonnulli nominant, librariorum errore (ut notat Raynaudus) ob literarum similitudinem. *S. Latronis nomen proprium, quodnam?*

QUÆSTIO XXV.

De tertio & quarto Verbo Christi D. in Cruce.

175. PRæmitto. S. Joannes Evangelista cap. 19. versu 25. & sequ; habet. *Stabant autem juxta Crucem JESU, Mater ejus,*

ejus, & soror (Consobrina) *Matris ejus, Maria Cleophæ* (nempe uxor ac mater S. Judæ & Jacobi minoris, Apostolorum) *& Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo JEsus Matrem & Discipulum stantem, dicit Matri suæ. Mulier ecce filius tuus. deinde Discipulo. Ecce Mater tua. & ex illa hora accepit illam Discipulus in sua.* Tertium verbum Christi fuit: *Ecce Mater tua. Ecce Filius tuus.* 4tum verbum censetur illud fuisse, quod legitur apud Matthæum.cap. 27. v. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Hîs præmissîs.

Ratio quadruplex, Cur B. Virginem Christus non vocat Matrem?

176. *Quæritur 1.* Cur Christus dixit. *Mulier ecce filius tuus.* Cur non dixit? *Mater. Respondetur*, id factum ideo. 1. Ne nominando Matrem, ipsius Animam acerbiore dolore afficeret. Unde Joannes Baptista Mantuanus, Sacri Ordinis Carmelitarum Annô 1510. Generalis, necnon Theologus, Orator & Pòëta præstantissimus, lib: 1. par Marian: canit.

Talibus admonuit Matrem, sine nomine Matris.
Ne materna pium laniarent viscera nomen.

Hocq; ipsum longè antea asseritur à S Chrysostomo. Homiliâ 84. in Joannem, dicente. *O bone JESU, quid Matrem tuam erubuisti, quæ te tam diligenter nutrivit, reverenter tractavit, dulciter lactavit, tam durè loqueris, Mulier inquiens? sed ideo factum esse arbitror, ne materno Nomine, Matri ampliùs dolorem excitares.* 2. Ne adstantes Judæos contra Ipsam concitaret. 3. Quia (ut inquit Magnus Suarez Tomô XI. in 3. p. q. 27. Disp. 1. Sectione 1.) sicut Christus se vocabat *Filium hominis.* ita Virginem per Antonomasiam, *Mulierem* appellabat, ut eam, esse indicaret Mulierem illam, per quam damna primæ Mulieris Evæ instauranda forent. 4. Quia (ut notat P. Salmeron Tomô 10. Tractatu 41.) negotium Patris sui Cœlestis agebat JESUS, cujus intuitu ipsemet docuerat, Matth. 23. Patrem non esse nobis vocandum super terram.

Multiplex Ratio cur B Virgo commendata Joanni?

177. *Quæritur 2. Cur Matrem, potiùs Joanni commendavit, quàm alteri? Respondetur.* Tum quia jam tunc S. Josephus fuit mortuus (vide infra numerô 178.) ex Apostolis verò solus

Joan-

Joannes inter Judæorum tot opprobria intepidus & constans adstitit, sicq; suâ constantiâ & amoris significantiâ, tantum honorem meruisse videtur. Tum quia Christus Joannem singulariter diligebat: ipseq; Joannes singulari amore prosequebatur B. Virginem. Ad hanc commendationem, etiam multùm contulit Joanni, singularis ejus puritas & Virginitas. Commendat itidem Christus Matrem purissimam Virginem, Joanni Virgini, summè dilectam, Discipulo, quem multùm ipse diligebat. Voluit item Christus docere morituros, suorum & maximè Parentum curam habere debere, ut eis prospiciant, idq; *ad extremum usq; spiritum.* sicut notavit hìc Theophylactus, & Euthymius. *Moralis enim hìc insinuatur locus*, (inquit S. Augustinus) *exemplô suô suos instruxit Præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura Parentibus: tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magistri docentis.* Dicit Joannes. *Et ex illa hora accepit Eam discipulus in sua. Suscepit Eam* (ait S. Augustinus) *non in sua prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propriâ dispensatione curabat.* Sanctus verò Beda dicit. *Alia litera* (seu versio) *habet, in suam scilicet Matrem, ut quidam volunt; sed congruentiùs subauditur, in suam curam.* Ideoq; S. Joannes abiens Ephesum, eodem secum duxit B. Virginem. Et in Synodo Ephesina cap: 26. in Epist: Synodica dicitur, quòd B. Virgo & S. Joannes, quandoq; habitaverint Ephesi.

178. Dixi suprà. *Mortuum jam fuisse S. Josephum ante passionem Christi.* id enim docet S. Epiphanius hæresi 78. S. Vincentius Ferrerius sermone de S. Josepho. Petrus Comestor (qui & Magister historiæ scholasticæ vocatur) cap: 38. suæ Historiæ & plurimi alii. Probabilè autem est (inquit Magnus Suarez in 3tiam part: quæst. 29. Disp. 7. Sect: 1.) S. Josephum ante trigesimum annum ætatis Christi, obiisse. In Evangelio enim usq; ad duodecimum ætatis annum Christi D. fit ejus mentio & non ampliùs, neq; in Nuptiis in Cana Galilææ, neq; in historia Passionis, neq; aliis in locis, ubi fit Matris mentio & fratrum Domini; quod est signum, fuisse illum jam mortuum: nam cùm

S. Josephus defunctus ante Christi passionem.

vivebat, ferè ſemper ſimul cum B. Virgine conjungebatur, & nominabatur. Et infra ſect: 3. idem P. Suarez dicit. Exiſtimo tamen, non ſtatim poſt duodecimum annum obiiſſe; dum enim Lucas, cap. 2. ait, deſcendiſſe Chriſtum poſt duodecimum ætatis ſuæ annum cum Parentibus in Nazareth, & fuiſſe *ſubditum illis.* ſatìs ſignificat aliquot annîs cum utroq; vixiſſe; & non eſt incredibile vixiſſe Joſephum ferè uſq; ad annum prædicationis Chriſti, id eſt ferè ad trigeſimum Annum Chriſti, quô cæpit Chriſtus docere & prædicare. Porrò, Eruditionis gratiâ.

An certum eſt Joſephum fuiſſe fabrum lignarium?

Nota. Etſi certum ſit ex Matthæi cap. 13. v. 55. S. Joſephum fuiſſe fabrum: qualis autem faber fuerit, incertum eſſe dixit Card: Cajetanus, P. Maldonatus & alii nonnulli. Ratio eſt. Nam S. Hilarius, Canone 14. in Matthæum. S. Anſelmus, in cap. 13. Matth: S. Beda, lib 2. in Marcum. ſuô cap: 23. indicant fuiſſe fabrum, *ferrum igne vincentem.* ſeu, fabrum ferrarium. Hugo Doctiſſimus cenſet fuiſſe aurificem, vel murarium. Communis tamen Sententia eſt, S. Joſephum fuiſſe fabrum lignarium; & ita cenſent S. Chryſoſtomus in cap: 1. Matth. Doctor Angelicus S. Thomas in ſuo Commentario, in 13. cap. Matth: Lyranus, Carthuſianus &c: &c. Eſtq; hæc Sententia. antiquiſſima, ut ex lib: de Infantia Salvatoris, licèt apocrypho, colligitur. ubi miraculum, in lignaria Joſephi officina, à Chriſto factum, narratur: & ex Hiſtoria Sozomeni qui lib. 6. cap. 2. narrat Chriſtianum quendam à Gentili irriſore rogatum, *quid faceret fabri filius?* puta Chriſtus; argutè reſpondit: *Juliano Imperatori* (Apoſtatæ) *fabricat feretrum*; paulòq; poſtea interfectus eſt Julianus. Colligitur item illius communis Sententiæ antiquitas ex eo, quòd ad verba hæc. *Nonne hic eſt fabri filius?* Matth: cap. 13. in Arabica antiqua verſione addatur. *lignarii.* legitur enim ſic. *Nonne hic eſt fabri lignarii filius?*

Vide Patrem Suarez Tomô 2. in 3. p. ad initium Diſp. VIII. Maldonatum & Cornelium à Lapide in 13. cap. Matth:

179. *Nota 1.* Extra omne prudens dubium eſt, quòd Pretioſiſſima DEi Parens, dolorem acerbiſſimum pertulerit, cernens

nens Filium suum Cruci affixum, utpote quem summo amore prosequebatur: pro mensura autem amoris, est mensura doloris: nam ut rectè notat S. Augustinus lib. 21. de Civitate. cap. 26. *Tantum necesse est urat dolor, quantum hæserat amor.* unde Divus Anselmus de Excellentia Virginis. capite 5tô. ait. *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit aut nihil, comparatione tuæ Passionis ô Mater DEI.* Tamen tunc passa non est spasmum propriè talem, ut significat corporalem defectum cum impotentia rationis. & perturbatione sensuum, languore & & contractione membrorum: nec (verbîs loquor Card. Bellarmini lib. 1. de septem Verbis Domini? cap. XI.) cecidit in terram, semimortua, ut quidam fingunt: nec laceravit capillos: nec muliebriter eiulavit: id enim fuisset magna imperfectio, derogans multùm (ut loquitur Pater Suarez) excellenti gratiæ Virginis & dominio, quod habebat in omnes suos motus, actus, & potētias. Unde Joannes Evangelista refert, Christô Cruci affixo, Virginem stantem permansisse, & nec animô, nec corpore cecidisse. Imò S. Ambrosius in Oratione de obitu Valentiniani Imperatoris. Nec flevisse illam affirmirare audet. *Stantem* (inquit) *lego, flentem non lego.* Et nonnulli Patres asserunt, eo tempore exercuisse B. Virginē, actū summæ obediētiæ & Charitatis erga homines, voluntariè offerendo filium pro illis, *quo actu* (ut dicit S. Bonaventura in 1. disp. 48. quæst. ultimâ.) *& Deum, & homines sibi maximè devinxit.* Quando ergo aliqui graves Auctores videntur ita exaggerare B. Virginis dolorem, ut spasmum, vel aliquid simile illi tribuere videantur; non intendunt imperfectionem aliquam illi tribuere, ut privationem sensuum, contractionem membrorum vel quid simile; sed solùm vehementem dolorem cum ingenti admiratione & quasi stupore. Hæc P. Suarez Tomô 2dô. in 3. p. quæst. 27 Disput 4. Sect. 3.

B. Virgo non est passa spasmum propriè talem.

180. *Nota 2dò.* Legitur apud S. Brigittam Lib. 4. Revel. cap. 70. *Quod Christus dixit: Ecce mater tua, & Ecce filius tuus, capitis & oculorum nutu, tam Matrem Discipulo, quàm Discipulum, Matri designavit: non enim aliter manibus indicare poterat, aut di-*

 cere,

cere, *Ecce*. B. item Virgo & Joannes non à Christi lateribus adstiterunt, (ut asserit P. Salmeron Tomô 10. Tract. 41. cum aliis) sicut à pictoribus depinguntur, quia aliter rectè pingi non possunt, sed constiterant ante faciem JESU, vultum ejus intuentes, quô posset eos Christus cernere atq; alloqui. Adrichomius in descriptione Jerusalem, cum pluribus asserit, B. Virginem cum Joanne firmâ mentis, fideiq; constantiâ stetisse in loco quindecim ulnis, quæ nunc quindecim gradibûs metiūtur) distante à Cruce Christi; huncq; locum pia veneratione à fidelibus hucusq; honorari.

181. *Quæritur 3tiò. Quomodonam intelligendum est illud quartum Verbum Christi*, plenum Sacrosancti cujusdam horroris, auditu mirandum, intellectu difficile, Verbum inquam illud *Deus meus, Deus meus, ùt quid dereliquisti me? Respondetur.* Duplex præsertim est è mente Sanctorum Patrum prædicti Verbi explicatio. *Prima & receptissima apud illos interpretatio fuit hæc.* (ut annotavit cum pluribus, insignis Theologus & Celeberrimus Sacræ Scripturæ Commentator, P. Joannes Maldonatus) scilicet. Christum Dominum illud Verbum 4tum, non suâ sed nostrâ, id est omnium peccatorum personâ pronuntiâsse. Cùm enim Ariani objecissent, tantum abfuisse ut Christus fuisset DEUS, ut se etiam à Deo derelictum clamaret. Respondebant Sancti Patres: non pro se, sed pro nobis clamavisse, quos cùm à Deo desertos, ab eoq; alienatos videret, in ejus gratiam reponere volebat. Ita S. Athanasius Orat: 1. & 2. contra Arianos. & serm: 3. & 4. adversùs eosdem. & alibi. S. Gregorius Nazianzenus Orat: 4. de Theologia. S. Cyrillus Alexandrinus, in lib: de fide, ad Reginas. S Augustinus, in Psal. 21. S. Damascenus lib. 3. de fide. cap: 24. S. Leo Papa serm: 16. de Passione, ubi hæc habet. *Inde est, quòd Caput nostrum Dominus JESUS Christus, omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in Psalmo 21. eructaverat, id in supplicio Crucis, sub redemptorum suorum voce clamabat. Deus meus, Deus meus, quare me reliquisti?* Hanc interpretationem ex his quæ statim sequuntur verbis, Augustinus confirmat. *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* quæ in nos, non in Christum conve-

Verbi quarti Explicatio duplex.

nire

nire possunt. *Secunda Explicatio Verbi illius 4ti*, juxta S. Hieronymum, S. Chrysostomum Theophylactum, Euthymium, & alios sat multos Interpretes *est hæc*: Nempe Christus clamat se derelictum, non à Divinitate; nunquam enim Divinitas disjuncta fuit à Humanitate. nam quod semel assumpsit, nunquam bonus JESUS dimisit: neq; etiam fuit unquam desertus à gratia & amicitia Dei: quia ut tota passionis Historia docet; JEsus innocens & Justus, etiam à Juda proditore, & à Pilato, & ab uxore ejus, & à signis declaratus est, semperq; fuit *plenus gratiâ & veritate.* Joan: cap: 1. sed ideo Christus clamat se derelictum, quòd Pater Eum, nulla consolatione, tam diram passionem in carne & parte animæ inferiore, mitigabat; sed Eum doloribûs & tormentîs merîs cruciari permittebat; ut ostendat, quàm amara & acerba illi sit in cruce mors, & animæ à corpore per tantos dolores extorsio. Et Euthymius illud 4tum Verbum explicans, ait. *Hoc dixit, confirmans, quòd sicut in veritate humanam assumpsit naturam; ita quoq; verè crucifixus est, & non phantasticè, proùt multi hæretici delirârunt: neq; enim nisi dolens, ita clamâsset.* Certè hujusmodi hæretici suam hæresim colore obducere potuissent, si nullum JESUS acerbitatis pœnarum à se toleratarum signum dedisset.

182. *Nota.* Calvinus hæresiarcha cum Melanchtone & aliis quibusdam asseclis, asserit, Verba prædicta Christi D. fuisse vocem desperationis. Sed hoc dictum Calvini, non solùm impium est, ast horrendum etiam auditu, & ipso Christi morientis factô evidenter refutatur. *Pater in manus* (inquit) *commendo spiritum meum.* Lucæ cap. 23. v. 46. si item Christus in Cruce desperavit: ergo peccavit graviter, proinde iræ Dei non satisfecit, sed magìs eam accendit. *Calvini in Christum blasphemia.*

183. *Quæritur 4tò. Cur*, ut legitur Matthæi cap. 27. v. 46. *clamavit JESUS voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma, Sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? cur inquam clamans voce magna, hanc derelictionem manifestavit? Respondet Primò.* Card: Bellarminus in lib. 2. de septem Verbis

Propter duas rationes, Verbum 4tum, altâ voce prolatum.

Domini. cap. 1. Ut (inquit) omnes intelligerent magnitudinem pretii redemptionis: nam usq; ad illam horam, tam incredibili patientia & tanta æquitate animi tulerat omnia, ut credi posset sensu carere: ut igitur cùm jam esset morti vicinus, intelligeret genus humanum, ac præcipuè, ut nos servi ejus, non essemus ingrati tantæ gratiæ, & pretium redemptionis magni faceremus, voluit, ut dolor passionis ejus publicè innotesceret. Quare verba illa. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* non sunt verba accusantis, vel indignantis, vel conquerentis; sed magnitudinem passionis, jure optimo & opportunissimo tempore declarantis.

184. *Respondet 2dò.* ad idem quæsitum 4tum P. Maldonatus cum pluribus. Ideo magna voce clamâsse, proferendo verba illa, quæ sunt exordium Psalmi 21, ut omnes, qui aderant, Psalmi verba cognoscerent, & Eum esse intelligerent Christum, de quo ea scripta sunt: totus enim Psalmus ille 21mus, qui incipit. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* de Christo scriptus est. Vide dicta suprà in quæstione 1ma. paginâ 18. & seq: numerô 3tiô. & seq:

185. *Quod si dicatur.* Utiq; Principium Psalmi 21. est; *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Respondendum* est cum Card: Bellarmino & aliis. Illud *respice in me*, quod est in medio versûs, additum est à septuaginta Interpretibus, & in ipso hebraico textu non habentur verba, nisi quæ Dominus protulit.

Quinam dixerūt à Christo vocari Eliam?

186. *Nota 1mò.* Postquam Christus clamavit *Eli, Eli lamma, sabacthani.* tunc, ut habet S. Matthæus Cap: 27mô. versu 47. & S. Marcus, cap; 15. v. 35. *Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.* Quodsi quæratur. Quinam fuerunt illi *quidam stantes* qui Eliam vocari & invocari à Christo D. putârunt? Respondet S. Hieronymus, Euthymius cum pluribus, fuisse milites Romanos non callentes linguam hebraicam: Eliam autem venturum in adventu Messiæ à Judæis inaudierant. Theophylactus verò cum nonnullis respondet,

fuisse

fuisse Judæos imperitos, qui cùm Scripturam & literas ignorarent, existimârunt Eliam à Christo vocari in auxilium. Alii respondent fuisse doctos Judæos, aut Sacerdotes aut Pharisæos, qui non linguæ, aut scripturarum ignoratione, sed procacitate quadam, & nominis *Eli* & *Eliæ* similitudine, irridendi captantes occasionem, dixerunt: *Eliam vocat iste.* & hanc sententiam Divus Hieronymus & S. Beda referunt, nec omnino improbant. Mihi videtur non esse improbabile, si dicatur, ex illis, qui dicebant *Eliam vocat.* fuisse non solùm milites Romanos, sed Judæos tam omnino imperitos, quàm etiam linguæ hebraicæ & scripturarum peritissimos.

187. *Nota 2dò.* Ex Salmerone & Maldonato. S. Matthæus cap: 27. v. 47. post illa verba *Eliam vocat iste.* statim subdit. *& continuò currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit acetô, & imposuit arundini & dabat ei bibere.* Similia habet Marcus, cap: 15 v. 36. Unde hi duo Evangelistæ, ita Historiam texere videntur, ut indicent, propterea unum ex militibus accurrisse, ut acetum Christo porrigeret, quòd Eliam invocare visus esset; quæ non satis videntur inter se cohærere: quid enim aceto cum Elia?. Videtur ergo Evangelista Matthæus omisisse sicut & Marcus aliam vocem Christi immediatè dictam post illa verba *Eli, Eli, lamma, sabacthani.* scilicet *Sitio.* quam Joannes, qui novissimus scripsit, supplevit: & inde facilè potest intelligi, ob significatam à Domino sitim, & ad illam sedandam, esse cursum factum illius militis porrigentis acetum: & ad hunc modum conciliandi sunt Matthæus Marcus cum Joanne.

QUÆ-

QUÆSTIO XXVI.

De quinto, ſexto, & ſeptimo Verbo Chriſti D. in Cruce.

188. PRæmitto. Apud S. Joannem cap. 19. v. 28. & ſeq. leguntur hæc. *Poſtea ſciens JESUS, quia jam omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo erat poſitum acetô plenum. Illi autem ſpongiam plenam acetô, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori Ejus, Cùm ergo accepiſſet JESUS acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato Capite tradidit Spiritum.* Sed Joannes hìc omiſit, quod Lucas narrat, cap: 23. v. 46. *Et clamans voce magna JEſus, ait: Pater, in manus Tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, exſpiravit.* Itaq; Verbum Chriſti in Cruce in ordine quintum, fuit: *Sitio.* Sextum *Conſummatum eſt.* ultimum, ſeu ſeptimum, fuit. *Pater, in manus Tuas commendo Spiritum meum.* Hoc præmiſsô.

Sitis Chriſti de Cruce pendentis orta eſt ex triplici cauſa.

189. *Quæritur imò. Undenam proveniebat, quòd Chriſtus D. Crucifixus, ſitim ingentem paſſus ſit? Reſpondetur* id inter alia proveniſſe ex eo. *Primò.* Quia ab hora pridianæ cœnæ, uſq; ad ſequentis diei meridiem, per viginti ferè horas, nullum potum, & cibum ſumpſerat Chriſtus D. & ſemqer vigilaverat, multùmq; laboraverat ac in vehementi agonia ac triſtitia, ſanguinem verè & propriè toto corpore ſudaverat, globîs decurrentibûs ſangvineis in terram. Vide dicta pag: 41. & ſeq: num: 35. *Secundò.* Quia Chriſtus D: poſt longam defatigationem, multùm ſanguinis effuderat in flagellatione, Spinea coronatione; præſertim verò in crucifixione, ex quatuor Sacratiſſimis fontibus magna copia ſanguinis effluxerat: copioſa verò emiſſio ſanguinis exſiccat & ſitim provocat. Novi ego (inquit Bellarminus lib. 2. de ſeptem Verbis Chriſti D. cap: 7.) perſonam, quæ multîs affecta vulneribûs, ex quibus ingens ſanguinis copia fluxerat, nihil niſi potum deſi-

desiderabat, quasi nihil mali pateretur præter ardentissimam sitim. Quin & ego ipse novi plures personas, quibus cum recentissimè plurima vulnera inflicta essent, intensissimè desiderabant potum, immemores tunc aliorum cruciatuum. Et apud Laurentium Surium, ad diem 22. Septemb: in Vita S. Emmerammi Episcopi & Martyris legitur, quòd ligatus ad palum, & plurimîs vulneribûs acceptîs, de siti tantummodo querebatur. *Tertiò.* Quia dolores & cruciatus acerrimi, sitim ingentem in Christo excitabant. Nam ut ait S. Cyrillus Alexandrinus, 12. lib: in Joannem. cap: 35. *Multùm possunt dolores ad commovendam sitim, innatum enim calorem exagitant, vel quod in profunditate humidum est, consumunt, & igneîs ardoribûs dolentis viscera urunt.* Quare JESUS verè dixit. *Sitio,* & desideravit appetitu naturali levamen sitîs.

190. *Quæritur 2dò. Christus D. Utiq; statim sitim gravissimam passus est, saltim brevì post crucifixionem, & tamen ferè tribûs iam horîs pendens in Cruce, patiendo sitim maximam, nullo signô eam manifestavit: & poterat haud dubiè nullo indiciô eam prodere usq; ad ultimum vitæ suæ instans. Cur ergo jam jam moriturus illam manifestavit, dicens :* Sitio. *Quo fine id factum? præsertim cùm longè antè præsciverit, sibi congruum potum ad sedandam sitim à crucifixoribus suis vel Judæis non offerendum?* Sed potum amarum & cruciantem. Adstabat quidem S. Mater & Joannes, sed hi nihil habebant quod porrigerent ad sedandam sitim Christi: nec illis permissum fuisset hoc obsequium præstare Christo D.

Cur iam proximus morti sitim suam manifestavit Christus?

Respondetur. Christum D. in prænominatis circumstantiis dixisse. *Sitio. Primò*, ideo, *Ut* (inquit S. Joannes) *consummaretur Scriptura:* celebris inquam illa Scriptura de Messia, acetô potando Psal: 68. v. 22. *In siti mea potaverunt me acetô.* id est. Cùm sitire me intelligerent, acetum mihi pro potu propinârunt. Et Sybilla Erithræa, longè antè prædixerat (ut habetur lib. 1. Oraculorum ejus)

Et fellis amari
Apponunt escam, potumq; immitis aceti.

Et lib: 8. *Felle fames, ejus sitis illudetur acetô.*
Hanc apponet ei gens scilicet hospita mensam.

Secundò. Ideo protulit hanc vocem. *Sitio*, ut humanæ naturæ & supplicii non simulati veritatem in se demonstraret: nosq; omnes sciremus non defuisse Christo novum hoc tormenti genus. (ut notat Bellarminus) utq; ad exemplum patientiæ, fidelibus suis notum faceret, hunc novum & acerbissimum cruciatum. Impletumq; tunc fuit in Christo illud Psalm: 21. v. 6. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* Dixit ergo *Sitio.* id est, deficit jam in carne mea humor omnis, aruerunt venæ, aruit lingua, aruit palatum, aruerunt fauces, aruerunt interiora omnia, si quis me refocillare cupit, potum offerat. Vide etiam dicta superiùs ex Euthymio ad finem numeri 181. paginâ 165.

Sed qualemnam potum illi obtulerunt qui cruci astabant si quæras? Audi verba S. Joannis. *Erat ergo vas acetô plenum, illi autem spongiam plenam acetô, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori Ejus.* O consolationem! ò refrigerium! Accepit ergo JESUS & bibit acetum, è spongia exsuctum: ut etiam hac parte, linguâ & faucibûs acetô exacerbatis, satisfaceret pro crapula & ebrietate hominum. Ut notat Lucas Brugensis cùm pluribus. Seraphicus verò Doctor, S. Bonaventura in Lucam. ait. *Christus, cùm passus est in auditu, per contumelias: in visu, per lacrymas: in tactu, per plagas: non restabat, ut pateretur nisi in gustu & lingua, contra illam delectationem, quam in esu pomi habuerunt Adam & Eva.* Et S. Hieronymus in cap: 14. Marci. inquit. *Hoc acetô, succus lethalis pomi abstergitur.*

Acetum datum fuit Christo quatuor de causis.

191. *Nota hìc imò. Si quæratur. Quamnam ob causam, Christo D. datum fuit acetum?* Respondet Cornelius à Lapide cum pluribus, datum fuisse quatuor de causis. 1. ad illusionem. Unde habet Lucas cap: 23. v. 36. *Illudebant autem Ei & milites accedentes & acetum offerentes Ei.* 2. ad tormentum, ut

in siti

in siti cruciaretur potu acri & acetosô. *3.* Ut sitis Ejus nôn tam exstingueretur, quàm augeretur. Nam acetum, licèt initio sitim levare videtur, mox tamen eam auget, quia siccum est, desiccat valde. *4.* Cardinalis Baronius in suis eruditissimis Annalibus ad Annum Christi 34. asserit. Acetum Christo datum,ut sanguinē stringendo & sistendo, ac stomachum cæteraq; ejus membra cum hyssopo roborando, Christum in vita diutiùs conservaret, sicq; Christi cruciatus esset productior, & vehementior; acetum enim hyssopus & spongia, apta erant ad sistendum sanguinem, sive acetum potaretur, sive vulneribus applicaretur; ut colligit Cardinalis Baronius ex Plinii Natural: Hist: lib: 21. cap: 1. & lib: 31. cap: 11. Item ex Dioscoride & aliis. E contra Theophylactus, Cardinalis Cajetanus, Jansenius, Salmeron, Toletus, Lucas Brugensis, Barradius & communissimè alii censent, acetum Christo datum,ut mortem ei acceleraret, idq; à custodibus, qui famentes cupiebant domum ad prandium redire: erat enim hora jam tertia pomeridiana; scilicet ut citiùs Eum conficeret aceti amaritudo, ait Theophyl: acetum enim vim habet penetrandi, suamq; amaritiem & malignitatem omnibus membris vulneribus & plagis instillandi. ita S. Hilarius, S. Chrysostomus, & Nonnus in cap: 19. Joannis, qui acetum hoc vocat: *acerrimum potum & siticulosam muriam*: item. *acetum exitii, permixtum hyssopo.*

Nota 2dò. Certum quidem est, quòd Christus Cruci affixus, porrectum sibi acetum acceperit; id enim testatur Joannes. verùm, si quæratur, quomodonam illud acceperit, gustavitne illud tantùm, & noluit bibere, utì antea fecit cum vino felle misto? an autem potavit & in viscera illud trajecit? Divus Antoninus 1. p. Hist: in Tract: de Passione censet, quòd solùm gustaverit. S. verò Ambrosius librô 10. in Lucæ cap: 23. dicit: *Acetum bibitur, vinum cum felle non bibitur.* Hocq; magìs videtur significare verbum *accepisset.* aliquid ergo aceti sumpsit Dominus ex spongia & bibit, ut asserit P. Barradius cum Cardinali Cajetano, & aliis sat multis.

Quandonam Christo fel datum in escam?

192. *Nota 3tiò.* Si dicatur. Quandonam est totaliter impleta prophetia illa? Psal: 68. v. 22. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me acetô.* Posterior pars hujus prophetiæ impleta quidem est, quando Christo clamanti in Cruce. *Sitio.* pro potu est propinatum acetum: sed quandonam in escam datum est fel? Legitur quidem apud Matthæum cap: 27. v. 33. & seq: *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus, & dederunt Ei vinum bibere cum felle mistum, & cum gustasset, noluit bibere.* Sed ex hoc textu solùm constat, quòd fel, Christo non in escam, seu cibum, sed in potum: non pro cibo sed pro potu, datum fuerit. *Respondet Magnus Suarez* Tomô 2dô in tertiam part: Disput: 37 Sect: 3. [Censeo primam partem illius prophetiæ impletam esse, quando ante crucifixionem datum fuit Christo vinum felle permixtum: quia etsi fel datum sit in vino, verè dicitur datum esse in cibum. Non enim ita sunt intelligenda verba Psalmi. *Dederunt in escam meam fel.* id est, in cibo meo miscuerunt fel; sed, ipsum fel dederunt mihi in escam; hoc autem verissimè ac propriissimè dicitur, etiamsi id, quod datur in cibum, vino, vel alteri liquori permixtum detur, ut sorberi potiùs possit, quàm comedi: quod satìs constat ex vulgari & communi loquendi modo. Verè enim dicitur avis dari in escam, etiamsi comminuta, vel in iusculum redacta præbeatur. Et hæc est (ut existimo) intelligentia antiquorum Patrum: & propter hanc causam Tertullianus Librô contra Judæos, cap: 10. legit prædicta verba Psalmi. *Miserunt in potum meum fel.* Lactantius verò lib: 4tô Divinarum Institutionum. cap: 18. dicit, illa verba Psalmi impleta esse in cibo & potu, quæ antequam Christum Judæi crucifigerent, illi obtulerunt] Hucusq; P. Suarez. Euthymius verò explicando Psalmum 68. nec non Matthæi cap: 27. ut explicet prophetiam dictam, ad literam esse impletam, dicit, fieri potuisse, *vel* ut aliqui porrexerint Christo fel ad manducandum, vel fragmenta fellis aridi, pro buccella panis, acetô vinôve diluta dedisse. Hancq; Responsionem Euthymii sequitur Lucas Brugensis & nonnulli alii.

193.

193. Porrò, *noluit* Christus D. *bibere* illud vinum, immediatè ante Crucifixionem datum; sive (ut ait Cornelius à Lapide) quòd aversaretur malitiam Judæorum, qui vinum felle corruperant: sive, quia volebat majorem pati sitim in Cruce, ut nobis mortificationis gulæ & sensuum, vivum daret exemplum. Lucas Brugensis dicit, Christus noluit bibere, non tam offensus amaritudine atq; acerbitate & barbarie inimicorum suorum, quàm ut ostenderet se placidè secundùm Patris mandatum ad mortem progredi, non autem præ impatientia doloris, præcipitem ferri, & ultro sibi ipsi accersere mala. *Quare Christus noluit bibere vinum felle mixtum?*

194. *Nota 4tò.* Nicolaus Lyranus in cap: 27. Matthæi ait. [Quia Salomon dixerat Proverbiorum 31. *Date siceram* “
mærentibus & vinum iis, qui amarô sunt animô. ideo ex occa- “
sione hujus verbi, Seniores Judæorum statuerunt, ut conde- “
mnatis ad mortem, daretur vinum aromaticum ad bibendum, “
ut faciliùs tolerarent passionem. In Hierusalem autem erant “
Matronæ devotæ, quæ hoc vinum ex devotione procurabant: “
sed Judæi tale vinum datum pro Christo & aliis duobus ac- “
ceperunt sibi, & locò ejus posuerunt acetum cum felle mix- “
tum] Hucusq; Lyranus, qui ex Judaismo conversus ad fidem Christianam, & sacro Ordine Minorum assumpto circa Annum Christi 1315. Commentarium laudabilem sive Postillam conscripsit in universam Sacram Scripturam. *Judæorum malitia.*

195. *Nota 5tò.* Per vocem hanc *Sitio* in sensu mystico eam explicando, declarabat Christus D. (ut cum P. Salmerone asserunt plurimi gravissimi Interpretes Scripturæ Sacræ) sitim suam plura adhuc patiendi pro Dei honore & animarum salute. Deinde præcipuè sitiebat Christus salutem nostram, quæ suæ Crucis & mortis est fructus. Sitit populos, per fidem & charitatem sibi incorporari; quia *aquæ multæ, populi multi.* Apoc: cap: 17. Sitit ergo Patris honorem & gloriam suam propter Deum, sitit peccati ac dæmonis victoriam, confessionem Centurionis, pænitentiam populi revertentis & percutientis pectora sua, Lucæ cap: 23. v. 48. atq; Patrum ex limbo redemptionem, salu- *Mystica explicatio sitis Christi D.*

tem omnium animarum. Sitit Fidem noſtram, ut nos eſuriamus & ſitiamus juſtitiam. Matth: cap: 5tô. v. 6. fidem ac ſalutem noſtram. Verùm homines in hac ſiti, ſolent illi exhibere acetum. Acetum ſignificat malignitatem, quam peccatores exhibent Chriſto, ſicut fecêre Judæi. Unde S. Auguſtinus in cap: Joann: 19. v. 29. *Date* (inquit) *quod eſtis Judæi: quippe èrant acetum degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum, & tanquam vas plenum iniquitate, & velut ſpongiam cavernosîs & tortuosîs latibulîs fraudulentum.*

196. *Quæritur 3tiò.* Sextô Verbô Chriſti D. in Cruce, ſcilicet *Conſummatum eſt.* quid denotatur?

Quid denotat Chriſti Vox Conſummatum?

Reſpondetur verbîs S. Auguſtini. *Conſummatum eſt.* (inquit ille) *quid? niſi quod prophetia tanto ante tempore prædixerat. Deinde. quia nihil remanſerat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret. Sciens enim* (inquit Joannes) *quia jam omnia conſummata erant, ut conſummaretur ſcriptura dixit, Sitio:* & paulo poſt acceptô acetô, *dixit conſummatum.* id eſt. impletum eſt illud, quod ſupererat adimplendum. Ex quo intelligimus (inquit Card: Bellarminus) etiam illum voluiſſe dicere, conſummata & adimpleta jam eſſe quæ de ipſius Vita & Morte à Prophetis prædicta fuerant. Verè enim omnia prædicta fuerant. Conceptio Jſaiæ cap: 7mô. *Ecce virgo concipiet.* Nativitas in Bethleem. Micheæ cap: 12. *Et tu Bethleem terra Juda* &c: *ex te exibit Dux qui regat populum Jſrael.* Apparitio Novæ Stellæ. Numerorum cap: 23. *Orietur ſtella ex Jacob.* Adoratio Regum. Pſalm: 71. *Reges Tharſis & Inſulæ, munera offerent.* Prædicatio Evangelii. Iſaiæ cap: 61. *Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me.* Miracula. Iſaiæ cap: 35. *Deus ipſe veniet, & Salvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut cervus, claudus: & aperta erit lingua mutorum.* Seſſio ſuper aſinam & pullum ejus. Zachariæ cap: 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi Juſtus & Salvator ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam & pullum filium ejus.* Deniq; paſſio tota per partes deſcripta eſt à Davide in Pſalmis. 21. 68. &c: & ab Jſaia, cap: 53. à Jeremia cap: 11. à Zacharia

cap: 12. & aliis. Atq; hoc est, quòd ipse Dominus iturus ad passionem, dicebat Lucæ cap: 18. *Ecce ascendimus Jerosolymam & Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* De illis igitur quæ consummanda erant, dicit. Consummatum est,

Deinde *Consummatum jam esse Salvator dicit* (inquit S. Cyrillus) *quia sæviendi Judæorum potestas in ipsum per mortem suam terminum habuit.* & Sanctus Ambrosius lib: 10. in Lucam. *Consummata sunt* (inquit) *omnia, eò, quòd assumptæ mortalitatis impletum esset omne mysterium.*

Nota hic ex P. Salmerone. Etsi nonnulla adhuc restarent complenda, ut mors & signa, quæ illam consecuta sunt, lateris apertio, sepultura, ad inferos descensio, quæ & ipsa in Scripturis prædicta erant; tamen quia jam erant in opere consummationis, & pro consummatis habebantur, propterea rectè potuit Christus dicere: *Consummatum est.* Restabat adhuc Resurrectio, in cœlum Ascensio, atq; Missio Spiritus Sancti; sed hæc ad victoriam pertinent, non ad certamen, præmia sunt pugnæ, non laboris.

Iam septimum seu ultimum Christi D. Verbum, quod in Cruce moriturus protulit, consideremus.

Apud S. Lucam cap: 23. v. 46. legitur. *Clamans voce magna JESUS, ait. Pater in manus Tuas commendo Spiritum meum. Et hæc dicens, exspiravit.* Respectivè ergo ad quæsita priora in Quæstione hac XXVI. contenta.

197. *Quæritur 4tò.* Quomodonam intelligendum Verbum hoc ultimum. *Pater in manus Tuas commendo Spiritum meum.*

Respondetur. Intelligendum sic. *Pater*, cujus Filius sum obedientissimus usq; ad mortem Crucis, in manus providentiæ, potentiæ, bonitatisq; tuæ, id est, Tibi (*per manus DEI, intelligimus DEum ipsum.* inquit Ethymius: vel nomine DEI intelligitur Summa Ejus Sapientia & Potentia, quæ omnia in re, sunt ipse DEUS) protectioni tutelæq; tuæ commendo, committo, depono, Animam meam, velut depositum, illam paulò post reassumptu- *Verbi ultimi interpretatio ex Patribus proponitur.*

sumpturus in resurrectione. *Ad uberiorem intelligentiam Verbi prædicti.*

Nota hic 1mò. Arabica Versio & Syriaca locò, *commendo.* habet. *Pono.* Tertullianus, librô contra Praxeam. cap: 25. legit, *depono.* Per *Spiritum*, intelligitur Anima, juxta illud S. Augustini librô de Trinitate & Unitate. cap. 7mô. *Humanum Spiritum, intelligimus Filium commendasse Patri, quod est Anima.* S. Ambrosius lib. 10. Commentarii sui in Lucam in prædicta Christi Verba dicit. *Benè commendatur Spiritus, qui servatur: quod enim commendatur, utiq; non amittitur, bonum ergo pignus est Spiritûs, bonum depositum.* Similia habet & Theophylactus. S. verò Cyrillus, lib. 11. in Joannem. cap. 76. *Tradidit* (inquit) *Animam suam manibus Genitoris, ut ab illa & per illam, factô initiô, certam hujus rei spem habeamus, firmiter credentes, nos in manibus DEI, post mortem futuros.* S. Athanasius censet, Nomine *Spiritûs*, intelligi hìc à Christo, homines, sic enim lib. de Humana Christi Natura contra Apollinarem. sub initium. scribit. *Cùm in Cruce Christus D. dicit: Pater in manus Tuas depono Spiritum meum, in eo omnes apud Patrem deponit, ac commendat, per ipsum & in ipso vivificandos; membra enim sumus, & membra ista multa unum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est, Omnes ergo in se, DEO commendat.* Idem cum S. Athanasio censet & S. Laurentius Justinianus, Primus Patriarcha Venetiarum. librô de Triumphali Agone Christi. cap. 20. dicens in Persona Christi ad Patrem. *Spiritum utiq; meum in manus Tuas Commendo non tantùm, quem gero ut homo, sed quem ut Redemptor & Mediator acquisivi mihi.* Sic S. Paulus in Epistola ad Philemonem. Onesimum vocat sua viscera. inquiens. *Tu illum* (id est Onesimum) *ut mea viscera suscipe.* Citati ergo Patres censent Christum D. ut Caput pro suis membris loqui, & in suo Spiritu, omnes animas Sanguine redemptas Patri suo commendâsse ultimô suo verbô.

Nota 2dò. Prædicta verba docent immortalitatem Animæ, vivit enim Spiritus è corpore egressus & DEO commendatur.

Commendavit item Spiritum suum DEO Patri Christus D.

ut ostenderet, se, cùm dixit. *DEus meus, DEus meus ut quid dereliquisti me.* nullo motu diffidentiæ adductum, ea verba dixisse. Vide etiam dicta suprà paginâ 164. numerô 181.

198. *Adverte.* Omninò convenit, ut omnes Christiani sæpè in ore habeant hunc versum *Pater* vel *Domine in manus Tuas commendo Spiritum meum.* sive cum instat mortis periculum sive dum cubitum se recipiunt: (noctu enim, ô quàm multa mortis subitaneæ occurrunt pericula!) sive cum aggredimur opus aliquod, quod est suprà vires nostras: sive (ut rectè monet P. Salmeron) cùm Corpori Christi communicare volumus; non enim minùs requiritur curæ ac diligentiæ ad purè communicandum, atq; ad bene moriendum & reddendum DEO Spiritum: & ut significemus per dignam Corporis Christi communicationem, illud fieri, ut noster spiritus per omnia subsit Christi Spiritui, ut pro voluntate sua illum formet, notitiâ sui informet, retrahat à vitiis atq; reformet & Spiritui suo conformet, ut tanquam suum agnoscat Pater Spiritum nostrum & in omnia quæ beneplacita sunt sibi transformet. Præsertim verò convenit imò necessarium ut omnes Christiani in ultimo agone constituti implorent auxilium DEI in ejusq; manus deponant animas suas ne succumbant tentationibus quibus tunc maximè dæmon conatur animas obruere sanguine Christi redemptas. Imò est multorum etiam sententia Patrum, dæmonem proprium cuiq; adversarium eidem moribundo horribili specie apparere, eumq; ad desperationem aliaq; scelera sollicitare, utì apparuit S. Martino & aliis non tamen omnibus.

Prædicti septimi Verbi usus & utilitas.

QUÆSTIO XXVII.

De Christi D. Morte ejusq; nonnullis circumstantiis.

Referuntur quinq; Sententiæ.

199. QUæritur imò. *Quônam Annô ætatis suæ, Christus D. in Cruce mortuus?*

In hac Quæstione multifariæ sunt Sententiæ diversæ. *Prima* fuit, quæ censet Christum D: esse mortuum annô ferè ætatis suæ quinquagesimô; & hanc tenuit Divus Irenæus lib: 2dô contra Valentinum hæresiarcham cap: 36. & 40. Confirmatq; hanc suam sententiam prædictus S. Irenæus Tum ex traditione quorundam Presbyterorum Asiæ. Tum ex verbis illis Judæorum ad Christum, Joannis cap: 8vô v. 57mô. *Dixerunt ergo Judæi ad Eum: quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidisti?* Nullus enim (inquit S. Irenæus) ad juvenem ita loquitur, sed ad eum qui non longè à quinquagesimo anno, distare videtur. Quidam etiam ut refert S. Augustinus de Doctrina Christiana. cap: 28. dixerunt Christum D. quadragesimô 6tô annô ætatis suæ fuisse mortuum, idq; ex eo colligebant, quòd eô annorum numerô ædificatum fuerit à Salomone templum, quod ipsius Christi typum gerebat. *Secunda Sententia est* Clementis Alexandrini lib: 1. Stromatum. Julii Africani. Lactantii lib: 4tô de vera Sapientia. cap. 10. asserentium, Christum mortuum esse expletô trigesimo ætatis suæ annô. *Tertia Sententia est* Severi Sulpitii, lib: 2dô Sacræ Historiæ. Philastrii lib: de Hæresibus. dicentium Christum obiisse annô trigesimô imô ætatis suæ expletô, inchòátô trigesimô 2dô.

Hæ tres prædictæ sententiæ sunt improbabiles & jam antiquatæ, nulli fundamento gravi, aut verè probabili, innixæ. Fundamenta S. Irenæi facilè subvertuntur, illorum enim Presbyterorum traditiones apocryphæ sunt, & ignotæ authoritatis. Illa au-

la autem verba Judæorum. *quinquaginta annos nondum habes.* dici potuerunt uſitatô quodam & vulgarî modô loquendi: item Judæi ne erroris argui poſſent (ut notat Cornelius à Lapide cum aliis,) majorem poſuerunt ætatis Chriſti numerum & terminum, ad quem certò ſciebant Chriſtum non perveniſſe: ſi enim dixiſſent 40. timebant ne fortè in eo errarent, & à Chriſto redarguerentur, multi enim ſunt 40 annorum, qui intuentibus videntur vix excedere 30. Euthymius verò cenſet, ob maturitatem Judicii ac ob vultûs & morum gravitatem: addunt alii, ob itinera, laboreſq; in prædicando exantlatos, ob corporis macerationem ac ſeveram vitam, Judæis viſum fuiſſe 50. annorum Chriſtum D.

Annô 46. ædificatum eſſe Templum Salomonis, conceditur; ſed iſte numerus ad ætatem Chriſti non poteſt referri. ut rectiſſimè dicit S. Auguſtinus lib: 2. de doctrina Chriſtiana. cap: 28. idq; conſtat ſufficienter ex Evangelio & Hiſtoriis probatiſſimis.

200. *Quarta Sententia eſt.* Chriſtum D. mortuum eſſe expletô 32. ætatis annô, & inchòáto 33. annô: hancq; tenet S. Epiphanius Hæreſi 78. *Chriſtus* (inquit) *crucifixus eſt anno 33. ſui adventûs in carne.* Item Euſebius in Chronico. Canus lib. 11. de locis theologicis. cap: 5. & 6. Benedictus Pererius, lib. 11. in Danielem. Quæſtione 7mâ &c: multùmq; probabilem hanc Sententiam cenſet P. Suarez.

Quinta demum Sententia eſt communiſſima & probabiliſſima, Chriſtum D. mortuum eſſe trigeſimô 3tiô ætatis ſuæ Annô, à Nativitate ſua, & inſuper tribûs menſibûs expletîs Anni trigeſimi 4ti, ita ut 25. Martii, quo die Cruci affixus eſt, in illo ipſo die expleverit triginta quatuor annos à Conceptione & Incarnatione ſua: & ita præter citatos ſuprà, in Quæſtione XXIII. paginâ 144. numerô 155. tenet Cardinalis Baronius in Annalibus ſuis ad Annum Chriſti 34. Genebrardus, Nicetas, Cedrenus &c: Vide & Magnum Suarez in 3. part: quæſt: 50. Diſput. 40. Sect. 1. ubi rejectîs aliîs ſententiîs, hanc fusè & ſolidè probat.

In morte Christi non fuit separata Anima & Corpus Christi à Divinitate.

201. *Nota.* Est communis Theologorum cum S. Thoma Sententia: imò certum est ex communi Traditione & consensu Ecclesiæ, in Christi morte non fuisse à Divinitate Corpus & Animam separata. Nam *Etsi* (verba sunt S. Damasceni lib: 3. de Orthodoxa Fide. cap: 27.) *mortuus est ut homo Christus D. & Sancta ejus Anima ab incontaminato divisa est Corpore: Deitas tamen à neutro, hoc est, nec ab Anima, nec à Corpore, ullo modô sejuncta est; neq; propterea Persona una in duas Personas divisa est, siquidem & Corpus & Anima ab initio in VERBI Persona eôdem momentô exstiterunt; ac licèt in morte divulsa fuerint, utrumq; tamen eorum, unam VERBI Hypostasim perpetuò habuit.*

202. *Quæritur 2dò. Mors Christi D. fuitne voluntaria, an violenta? Respondetur* Sub distinctione. Fuit voluntaria in hoc sensu, quia sponte se obtulit Passioni, & cùm posset sine ulla difficultate mortem & vulnera impedire, facilèq; effugere, tamen noluit id facere. Fuit tamen etiam mors violenta, quia vi vulnerum & passionis illata.

203. *Nota.* Non est mirum, quòd Christus D. citiûs mortuus fuerit, quàm Latrones duo, cum Eo crucifixi. *Ratio est.* Christus longè plura & acerbiora passus fuerat, quàm Latrones: totaq; nocte præcedente, plurimîs injuriîs & vexationibûs affectus fuerat & exagitatus: delicatioris item erat complexionis, Corpusq; suum Sacratissimum jejuniîs, vigiliîs, atq; laboribûs debilitatum habebat; Quid igitur mirum, quòd Christus D. tribûs tantùm horîs, latrones verò illi duo, ferè viribûs integrîs in crucem acti, sex horîs, & ampliùs in cruce Spiritum duxerint? cùm memoriæ proditum sit, Martyres quosdam, aliquot dies cum cruciatibus luctatos esse. S. Andreas cruci affixus, in ea populum docens biduô supervixit: ut est in Ejus Actis. Timotheus & Maura ejus conjunx, in cruce *novem diebûs vivi pendentes, ac se ipsos in fide corroborantes, martyrium consummârunt.* ut legitur in Martyrologio 3. Maji.

204. *Quæritur 3tiò. Quarenam Christus D. jam jam moriturus, voce magna clamavit?* Multiplex hujus ex Patribus affer-

afferri solet ratio. *1.* S. Chrysostomus ait. *Idcirco voce magna clamavit, ut ostendat, sua hæc potestate fieri, hoc est enim illud quod dixerat: Potestatem habeo ponendi Animam, & potestatem habeo rursus sumendi eam.* Et Victor Antiochenus in Marci cap: 15. scribens. *Per hoc* (inqut) *factum, Dominus JESUS demonstrabat, se, totam vitam, mortemq; suam in libera potestate sua positam habuisse.* Similiter loquitur Euthymius, Theophylactus &c: *2.* S. Athanasius quæstione 76. ad Antiochum Principem. [*Ideo* (inquit) *magna voce clamavit Christus in Cruce, ut suam declararet potentiam, deterreret Judæos, & ad fidem adduceret.*] *3.* Auctor Scholiorum in Marcum, S. Hieronymo adscriptorum. [*Nos* (inquit) *cum ima voce vel sine voce morimur, qui de terra sumus; ille verò cum exaltata voce exspiravit, qui de Cœlo descendit.*] *4.* Origenes dat hujus rationem hanc [Ut scilicet significaret Christus, se confidenter mori cùm certa spe resurrectionis & gloriæ tertio die à Patre sibi dandæ, ac suis fidelibus in eum credituris.] P. Sebastianus Barradius cum nonnullis censet ideo clamâsse Dominum jam jam moriturum, sicut victor clamat Dux, dum victor insequitur hostes, & veluti Leo de Tribu Juda rugit, prædam tartaro erepturus. juxta illud Prophetæ Amos cap. 3tiô. *Nunquid rugiet Leo in saltu & non habebit prædam.* Item ante extremum spiritum clamavit, & Caput inclinavit, ut adverterent, qui aderant, Eum tunc ex vita discedere, illiq; tribuerent miracula, quæ sunt consecuta: ecce Velum templi scissum est, terra mota &c: Cornelius à Lapide cum aliquibus asserit ideo clamâsse; Tum ut clamore hoc, vehementem suum in Deum amorem, religionem, obedientiam ac desiderium salutis humanæ declararet. Tum ut se supra hominem, Deumq; esse ostenderet. Unde Centurio videns quia sic clamans exspirasset, ut ait Marcus, cap. 15 v. 39. dixit: *Verè Filius Dei erat iste.* quia scilicet clamando ostendebat se esse Vitæ, Morti q; Dominum ideoq; Deum.

Clamoris Christi in Cruce fuit causa multifaria.

205. *Quæritur 4tò Cur Christus D. inclinatô Capite emisit Spiritum?* S. Athanasius Quæstione 75. ad Antiochum. habet hæc. *Quidnam est illud. Et inclinato capite emisit Spiritum? Nam moribun-*

Ratio multiplex cur inclinato Capite exspirat.

moribundi omnes moriuntur primùm & tunc demum inclinant capita. Responsio. Quoniam omnes Scripturas Christus adimplevit, Incarnationem, Nativitatem, &c: Humana deniq; omnia: Passionem, Crucem, illusiones, vulnera clavorum, istîs inquam omnibus impletîs, quæ pati debuerat, sola mors restabat adhuc. Atq; hæc quidem sibi metuens, appropinquare non audebat, ideo Christus inclinatô capite vocavit ipsam. Et S. Chrysostomus Homiliâ 84 ait. Inclinato Capite tradidit Spiritum, ut non necessitate, sed voluntariè se mori ostenderet. Quod voluit, vixit, quando voluit, tradidit Spiritum. S. Laurentius Justinianus lib. de Triumphali Agone. cap: 20. dicit: Caput hoc, dum passionum ludibria, & mortis supplicia pro hominibus pertulit, Mediator liquescit ad misericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam. Cornelius à Lapide (multîs approbantîbus) dicit, ideo inter alia Christum inclinato capite emisisse spiritum, tum ut significaret se mori ex obedientia: tum, ut ultimum vale diceret Mundo, & ut annueret & valediceret Matri ad Crucem adstanti, Sanctumq; Joannem, Magdalenam, & similes Cruci suæ adstantes complecteretur, ac faciem averteret ab iis, qui fugiunt Crucem: tum ut ostenderet spiritum suum post mortem, descensurum sub terram, ad limbum Patrum, ut inde eos liberaret: item ut locum lanceæ, quâ transfigendum erat latus dextrum & Cor, inclinatione Capitis designaret. &c; &c.

Christus D. servavitne integras suas vires ad mortem?

206. *Quæritur 5tò. An Christus D. Naturæ suæ corporeæ integras vires & vigorem conservaverit usq; ad mortem?* Respondet affirmativè S. Thomas 3. p. Quæst: 47. artic: 1. ad 2. *Dicendum, quòd, ut Christus ostenderet, quòd passio illata per violentiam ejus Animam non eripiebat, Naturam corporalem in sua fortitudine conservavit, ut etiam in extremis positus, voce magna clamaret. Sicut Ejus voluntate, natura corporalis conservata est in suo vigore usq; ad extremum: sic etiam quando voluit, subito cessit nocumento illato.* Idem cum S. Thoma censet Tostatus, Episcopus Abulensis Paradoxô 3. cap: 51. & alii. Verisimilior tamen videtur Responsio Magni Suarez, Barradii, Cornelii à Lapide & aliorum plurimo-

plurimorum gravissimorum Theologorum. Naturæ Christi humanæ vires, non fuisse inter tot cruciatus & dolores conservatas per miraculum: sed fuisse tot cruciatibûs fractas ac debilitatas, adeo, ut naturaliter clamare non posset, sed tantùm per miraculum. *Ratio est.* quia aliàs Christus D. non fuisset mortuus vi dolorum & tormentorum, sed ex mera voluntate sua, separando Animam à Corpore: proinde non fuisset occisus, nec morte hac violenta satisfecisset Patri pro nostris peccatis.

207. Quæritur 6tò. *Cur Christus D. non descendit de Cruce ad tot Judæorum blasphemias?*

Præmitto. Matthæi cap. 27. v. 39. & seq: legitur. *Prætereuntes blasphemabant Eum, moventes capita sua, & dicentes; Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas Salva temetipsum.* (Christus D. dixerat Joannis cap: 2. v. 19. & seq. solvite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de Templo Corporis Sui.) *Si Filius DEI es, descende de Cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum scribis & Senioribus dicebant.* (scilicet summi Sacerdotum cum Doctoribus legis & Judicibus populi) *Alios Salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce & credimus ei. Confidit in DEO: liberet nunc, si vult eum: dixit enim. Quia Filius DEI sum.* Similia leguntur apud Marcum cap: 15. & Lucam cap. 23. *Hoc autem dicebant* (ait Theophylactus in cap: 15. Marci) *deridentes Ejus miracula, & vellicantes, quasi phantastica fuissent.* Sicq; *fixuris clavorum* (ut inquit S. Leo serm: de Passione) *addiderunt tela linguarum.* Hoc præmissô.

Christus de Cruce cur non descendit?

Respondetur ad Quæsitum ipsissimîs verbîs Patrum.

Theophylactus, Archiepiscopus Bulgarorum (quem Card: Bellarminus in lib: de Scriptoribus. meritò vocat S. Chrysostomi abbreviatorem) in cap: 27. Matth ait. *Diabolus submittebat dicentes; si Filius es DEI, descende de Cruce. ut incitatus descenderet de Cruce. At Christus, quia Filius est Dei, non obedivit inimico; & ut tu discas, quòd non sit diaboli technis cedendum, sed bene operandum, etiamsi homines, malè de nobis censeant.* Et in caput 15.

Marci. *Si voluiſſet deſcendere, neq; principiò aſcendiſſet: ſciens enim per hoc ſalvandos homines, ſuſtinuit ut crucifigeretur, aliaq; multa pateretur, perficereturq; ejus opus.*

S. Auguſtinus Tractatu 37. in Joannem. Quia *patientiam* (inquit) *docebat, ideo potentiam differrebat: ſi enim commotus ad eorum verba deſcenderet, victus convitiorum dolore putaretur. Diſtulit potentiam; quia de Cruce noluit deſcendere, qui potuit de ſepulchro reſurgere: ſed publicavit miſericordiam, quia pendens in cruce dixit. Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Similia habet S. Gregorius, Homliâ 21. in Evangelia & S. Bernardus, Sermone 1. in die Paſchæ.

208. Ad hoc, quod blaſphemantes dicunt. *Deſcendat de Cruce, & credimus ei* id eſt credemus, Eum eſſe Meſſiam Regem Jſrael. Reſpondet rectè S. Hieronymus. *Fraudulenta promiſſio, quid eſt plus de Cruce adhuc deſcendere viventem, an de ſepulchro mortuum reſurgere? Reſurrexit, & non credidiſtis. ergo ſi etiam de Cruce deſcenderet, ſimiliter non crederetis.* Addit Scholiaſtes Marci apud Hieronymum. *Parva petîſtis dum majora provenerint, ſed infidelitas veſtra non potuit ſanari ſignîs multò potentioribûs, quàm petîſtis.* Viderunt utiq; Lazarum, aliosq; mortuos ſuſcitatos à Chriſto, & tamen Ei non crediderunt.

209. *Nota.* Exprobrationes hæ & blaſphemiæ Judæorum longè antea fuerant prædictæ à Davide Pſal: 21. Quem pſalmum Chriſtus recitavit in Cruce. Vide ſuprà paginâ 18. & 166. numerô 3tiô & 184. In illo Pſalmo, verſu 8vò. in Perſona Chriſti, David dicit. *Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labiîs, & moverunt caput. ſperavit in Domino, eripiat eum: ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.* Similiter id prænuntiatum fuit in Sacra Scriptura. in Libro Sapientiæ. cap: 2dô. dum ex perſona blaſphemantium dicitur· *Filium DEI ſe nominat, & gloriatur, Patrem ſe habere DEUM. Videamus ergo ſi Sermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus Filius DEI, ſuſcipiet illum & liberabit illum de manu contrariorum. Contumeliâ & tormentô interrogemus Eum,*

morte

morte turpissima condemnemus Eum; erit enim Ei respectus ex sermonibus illius: hoc est, respiciet Eum DEus & liberabit Eum juxta Sermones ipsius. Quo loco videtur significari (ut notat Lucas Brugensis) quòd etiam antequam in Crucem egissent Christum, ita apud se sint ratiocinati impii,& quòd in Crucem egerint Eum, ut explorarent, an verè esset Filius DEI. Sed subdit Sapiens. [*Hæc cogitaverunt & erraverunt. Excæcavit enim illos malitia eorum, nescieruntq; Sacramenta DEI.*] *O insani scelestiq; homines!* (exclamat S. Chrysostomus) *an Prophetæ non erant Prophetæ, & Justi quos occidistis Justi non erant, quoniam eos DEUS à periculis non eripuit?*

210. *Quæritur 7mò. A quibusnam Christus est Cruci affixus? & quidnam actum cum Ejus vestimentis?*

Præmitto. Evangelistæ de crucifixione Christi & ejus vestimentis habent hæc. Matthæus cap: 27. v. 35. *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta Ejus, sortem mittentes: ut impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem:* (Psalmo 21. v. 19.) *Diviserunt sibi Vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem.* Marcus Cap: 15. v. 24. *Et crucifigentes Eum, diviserunt vestimenta Ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* Lucas cap: 23. v. 33. & seq: *Postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi Crucifixerunt Eum & Latrones, unum à dextris, alterum à sinistris, dividentes autem vestimenta Ejus, miserunt sortem.* Joannes cap: 19. v. 23. & seq: *Milites ergo cùm crucifixissent Eum, acceperunt vestimenta Ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuiquè Militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* (id est tota, à cervice ad talos erat continua serie contexta sine ulla sutura, vel scissura) *Dixerunt ergo ad invicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta sibi, & in vestem meam miserunt sortem.* (Psalmô 21. versu 19.) *Et Milites quidem hæc fecerunt.* Hoc præmisso.

211. *Respondetur ad quæsitum.* Ex verbis citatis S. Joannis, constat, Christum D. fuisse Cruci affixum a quatuor Militi- 4 *Fuerunt crucifixores Christi D.*

bus. Milites hi, Gentiles erant, Ethnici, non Judæi: cujus autem Nationis fuerint, incerrum est. Vide etiam dicta suprâ, paginâ 86. numerô 87.

212. Quod concernit vestimenta Christi D. nullus Evangelistarum expressit, quotnam fuerint. Ideo quidam dixerunt fuisse quinquè, quatuor quidem Militibus divisa, quintum verò, tunicam inconsutilem. *Videtur autem* (inquit Euthymius Cap: 87. in Matthæum) *incredibile dictum, fuisse quinquè, eò, quòd indecens Salvatori fuisset: nemo enim ne aliorum quidem hominum, tot vestibûs induitur. Conjectantes ergo dicimus, nec procul ab eo fortassè, quod congruum est: tria fuisse universa: unum quidem tunicam Corpori applicatam in modum subuculæ. dico sanè tunicam hanc inconsutilem: alterum autem, quô super primum vestiebatur: & tertium exterius indumentum.* Hæc Euthymius, qui floruit Annô Christi 1118. scripsitq; Commentaria in omnes Psalmos, & quatuor Evangelia; nec non Panopliam adversus omnes Hæreses. Communis etiam est sententia recentiorum Sacræ Scripturæ Interpretum. Ut Barradii, Lucæ Brugensis, Cornelii à Lapide. &c: Vestes Christi fuisse tres, scilicet primam, tunicam inconsutilem, quæ ultima fuit instar indusii; secundam, tunicam illi injectam, similem illi Ecclesiasticorum, quam Itali, aliiq; *Sotannam* vocant. tertiam, tunicam extimam, quæ exteriùs Corpus tegebat & ornabat instar pallii. Nam thoracis, femoralium, tibialium, (inquit Cornelius à Lapide) non erat usus tunc apud Judæos, utì nec modò est apud multos Orientales. Probari etiam solet hæc de triplici Christi veste Sententia ex. eo. Quia dicitur in Scriptura. *Partiti sunt vestimenta sibi:* ergo saltem duæ erant vestes. Deinde congruebat, ut super tunicam, haberet vestem quæ honestè eam tegeret, deinde verò pallium exterius. Has duas externas vestes diviserunt Milites in quatuor partes pro numero eorum, quasi in præmium sui scelerati Ministerii, quamlibet vestem in duas partes dividendo: Tunicam verò inconsutilem non diviserunt, sed sortiti sunt de illa, cuinam integra cessura sit. Vestis hæc inconsutilis denotat unitatem veræ Christi Ecclesiæ: quæ unitas à

Christi D. tria erant indumenta.

Tunica incõsutilis notat Ecclesiam.

Schi-

Schismaticis & Hæreticis scinditur, ut docuit ipsemet Christus Dominus: apparens enim S. Petro Alexandrino Episcopo in veste discissa, cùm interrogaretur, cur ita appareret? Respondit. *Arius vestem meam quæ est Ecclesia, dilaceravit. Non scindamus eam* non scindamus Christi tunicam à Cœlo contextam; scissam verò à Schismatis & Hæreticis, utinam in fide orthodoxa bene radicati, toto pectore reparare conentur.

213 *Nota hìc mò.* Traditio est antiqua (quam approbat Euthymius & plurimi Classici Interpretes) tunicam illam inconsutilem, ab ipsa Deipara Virgine factam Puero JEsu textamq; fuisse. Unde consequens videtur (ait Cornelius à Lapide cum nonnullis) tunicam hanc cum Christo crescente crevisse, sicut crevere vestes Hebræorum per quadraginta Annos habitantium in deserto. Tunica hæc inconsutilis hodie Treviris asservatur, & visitur. *Qualis fuit illa tunica? Treviris servatur.*

214. *Nota 2dò. Si quæratur, cur vestes acceperunt Milites & diviserunt? Respondet Rupertus,* (Abbas Monasterii Tuitiensis, qui floruit Annô 1119.) in Caput Joannis 19. [Quia (inquit) lucrosè venundare poterant vestimenta ejus, idcirco pro magnæ victoriæ spoliis ea milites acceperunt. Non enim vilia putabantur vestimenta, de quorum fimbriis contactis, virtus exire consveverat. Nec utiq; tunc in illo spectaculo deerant, qui ad comparandum ea certatim se ingererent. Nam ut taceam de Matre & Discipulo. *Stabant* (ait Lucas) *omnes noti ejus à longè.*] S. Chrysostomus dicit. *Vestes inter se partiuntur, quod in condemnatis vilibus, & abjectis fieri solet, ac omnino destitutis. Partiuntur ea vestimenta, per quæ miracula facta sunt; sed tunc nil efficiebant, Christo ineffabilem eorum virtutem cohibente.* Porro hanc vestimentorum divisionem fecerunt Milites, in oculis ipsius Christi Domini adhuc in Cruce viventis, & hæc è Cruce spectantis; & insuper contumelias & sannas in ipsum jacientes, quòd pro regalibus Regis Judæorum vestimentis, pretiosissimis illis scilicet & eo Rege dignis certarent victiq; & capti Regis spolia dividerent. sicut annotavit etiam Theophylactus *Milites cur diviserũt vestes?*

phylactus & Euthymius. Veſtes Chriſti fuerunt mundæ & honeſtæ, non tamen magni pretii. ut cenſet S. Chryſoſtomus cum pluribus.

QUÆSTIO XXVIII.

De Miraculis factis, Chriſto Domino pendente tunc in Cruce.

215. PRæmitto. Legitur apud S. Matthæum cap: 27. verſu 45. *A ſexta autem hora* diei tranſacto, id eſt, à meridie, in qua ſcilicet hora Chriſtus D. cruci affixus eſt, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſquè ad horam nonam.* id eſt, uſquè ad tertiam horam pomeridianam, in qua exſpiravit Chriſtus D. Item S. Marcus cap: 15. v. 33. ait. *Et factâ horâ ſextâ, tenebræ factæ ſunt per totam terram uſquè in horam nonam.* S. etiam Lucas, cap: 23. v. 44. dicit. *Erat autem hora ferè ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſquè in horam nonam. & obſcuratus eſt ſol.* Poſtquam autem Dominus JESUS exſpiravit, patrata ſunt exnunc alia miracula, ut idem S. Matthæus teſtatur eodem cap: 27. v. 50. & ſeq: verbis hîs. *JESUS autem iterum clamans voce magna, emiſit Spiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſquè deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt; & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem Ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Hoc præmiſſo.

Tenebræ factæ per univerſam terram.

216. *Quæritur primò. Factæne tunc ſunt tenebræ in univerſo Orbe terrarum?*

Reſpondetur affirmativè. Reſponſio probatur. 1. Quia univerſale ac indubitatum eſt Principium. Verba Scripuræ Sacræ ſunt

sunt accipienda in sensu proprio, & absquè ulla restrictione, nisi obstet in contra grave aliquod positivum fundamentum. Cùm ergo ex una parte, omnes citati tres Evangelistæ, expressè testentur, fuisse tunc tenebras *super* seu *in universam terram*, seu *per totam terram*. Nomine autem *universæ terræ* intelligitur in sensu proprio & irrestricto, universus Orbis terrarum. Et ex altera parte nullum est grave fundamentum in contra, quominùs sic accipiatur; ut constabit ex infra dictis, numerô 222. Proinde asserendum est, tenebras tunc factas esse in universo Orbe terrarum, & non solùm in terra seu regione Judæorum, ut opinabatur olim Origines Tract: 35. in Matth: & ex recentioribus, Maldonatus. dicendumquè illas tenebras durâsse per tres horas.

217. *Probatur 2dò.* Quia S. Dionysius Areopagita Epist: 7. ad Polycarpum, cùm invehitur in Apollophanem Sophistam, refert, se Heliopoli (quæ nunc dicitur Damiata) in Ægypto vidisse simul cum ipso Apollophane illam solis defectionem seu Eclipsim; ferturquè tunc S. Dionysius exclamâsse. *Aut Deus naturæ, Auctor Mundi patitur: aut Mundi machina dissolvitur.* Phlegon item Ethnicus, Hadriani Imperatoris Libertus, insignis Chronographus, in Olimpiadum decimo quarto libro, de hac Eclipsi (ut refert Origines & Eusebius in suo Chronico An: 33) scripsit hæc *Quartô autem Annô 202. Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies, horâ sextâ in tenebrosam noctem versus, ut stellæ Cœlo visæ sint, terræq; motus in Bithynia, Nicænæ Urbis multas ædes subverterit.* Tertullianus etiam adversus Gentiles in suo Apologetico cap: 21. indicat, etiam Romæ visam esse illam solis defectionem: inquiens. *Eodem quidem momento, dies, medium Orbem signante sole, subducta est; deliquium utiquè putaverunt, qui idquoq; super Christum prædicatum nescierunt. Et tamen eum Mundi casum relatum in Archivis vestris habetis.* Lucianus quoquè Antiochenus, pietate ac eruditione præstans, cum Gentibus de Fide disputans, (ut Auctor est Eusebius Lib: 9. Eccles: Hist: cap: 9.) sic

Fuit tunc universalis Eclipsis solis.

9.) sic ait: *Solem vobis ipsum horum produco testem, qui, cùm hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in Cœlo. Requirite in Annalibus vestris, & invenietis, temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem.* Imò ex hoc signo, nempe ex tanta defectione solis, quidam tradunt, Athenîs *Ignoto DEO* Aram fuisse inscriptam: (cujus Aræ mentio est in Actis Apost: cap: 7.) hoc est, Christo, Deo vero sub Humanitate delitescenti.

218. *Confirmatur Responsio 1.* Quia (ut arguit Magnus Suarez) in Sacra Scriptura, hæc solis defectio, occasus solis appellatur: Occasus autem Solis, significat generalem lucis absentiam. Antecedens patet ex Capite 8vo, Prophetæ Amos, *Et erit, in die illa, dicit Dominus, occidet vobis Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Quem textum, de hoc mysterio interpretantur Sancti Patres; Hieronymus, Cyrillus Ierosolymitanus, Cyprianus, Augustinus, Isidorus. &c:

Confirmatur 2 Auctoritate Patrum. Eam enim solis defectionem universalem fuisse in toto Orbe, sentiunt S. Chrysostomus Homiliâ 89. in Matth. S. Hieronymus, in cap: 27. Matth: S. Athanasius, Divus Thomas sup: 9. 44. ar: 2. ad 2. Theophylactus, Euthymius &c:

Accedit. Quia conveniens fuit, ut in omnibus terræ regionibus cerneretur Eclipsis in morte Creatoris totius Orbis; & tenebrîs, veluti lugubri veste, regiones omnes se induerent, moriente supremo Rege suo.

119. *Quæritur 2dò. Tenebræ hæ tantæ, unde nam Ortæ sunt?* S. Dionysius Areopagita harum tenebrarum testis oculatus, Epist: 7. ad Polycarpum. docet, illas, ortas fuisse ex solis Eclipsi, nempe ex interpositione miraculosa Lunæ inter terram & solem. Sic enim ait, agens de se & Apollophane. *Eramus unà ambo, & stabamus ad Heliopolin, ac cernebamus, nec opinatò, cùm Luna, se objiciebat (neque enim conjunctionis tempus erat) rursusq; , cùm eadem, ab hora nona ad vesperum, se mediæ Solis lineæ, præter naturæ ordinem opponebat. Redige autem etiam aliquid ei*

(Apollo

(Apollophani) *in memoriam; scit enim etiam objectum ipsum à nobis visum esse oriri ab ortu solis, & ad solis extremum pervenire, dein repedare* seu retroire. *Rursumq; non ab eadē parte solis & objectū & recessum evenire, sed ab ea, quæ ut ita dicam, ex diametro erat contraria.* Similia habet idem S. Dionysius scribens de eadem re, Epistolâ 10. ad ipsum Apollophanem. Verba hujus Epistolæ 10. Vide apud Card: Baronium ad Annum Christi 34.

220. Ex verbis citatis S. Dionysii, constat, in illa Eclipsi solari, multa simul concurrisse miracula, quæ præter alios recenset S. Thomas in 3. p. q. 44. art. 2. & plurimi Interpretes Sacræ Scripturæ. Cornelius à Lapide recenset septem miracula. *Primum* est. quòd Eclipsis illa contigerit in Paschate, hoc est in plenilunio primi mensis Nisan: in plenilunio autem non potest fieri naturaliter eclipsis solis, quia tunc Luna à sole longissimè distat, imò est in opposito solis, quare eclipsis solis non fit nisi in conjunctione solis cum Luna, quæ fit in Novilunio; tunc enim Luna soli vicina, facilè se illi supponit, ipsumquè eclipsat. *2dum Miraculum*, quôd naturalis eclipsis parùm duret: eò, quòd Luna solem tegens celerrimè moveatur, & solem pertranseat; hæc autem per tres horas duravit. ut S. Chrysostomus observat Homiliâ 89. in Matth: & Divus Antoninus pp. hist. tit: 5. cap: 6. v. 6. *Ubi aliæ* (inquit) *Eclipsationes solis non durant per horam, hæc permansit per tres horas.* Alia miracula in eadem Eclipsi, facta. Vide apud S. Thomam locô supra citatô & Cornelium à Lapide in caput 27. Matth: &c.

Quænam miracula in illa Eclipsi contigerunt?

221. Quodsi dicatur. Utiquè Luna est longè minor sole (siquidem juxta Communem Astronomorum Sententiam, Sol est 160. vicibûs major, quàm totus terraqueus globus, ab eoq; distat quatuor millionibus milliarium: Lunà verò est ferè 40. vicibus minor terraqueô globô, quin & omnibus Astris est minor, exceptô Mercuriô; quia tamen terræ longè vicinor est Luna quàm alia astra, ìdeo videtur esse æquè magna ac sol & major omnibus astris) cùm ergo Luna sit longè minor sole, quomodo potuit totum solem tegere & obscurare, efficerequè generalem

talém eclipsim in toto Orbe? *Respondetur.* Lunam, sua interpositione obscurâsse, quod potuit: quod verò obscurare non potuit, id Christus Dominus per radiorum solis subtractionem perfecit. Unde dicit S. Chrysostomus in Catena ex serm: de Passi: Domini. *Non potuit ferre Creatura, injuriam Creatoris; Unde Sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora.* Et S. Hieronymus. *Videtur mihi, clarissimum* (inquit) *Mundi lumen, hoc est luminare majus, retraxisse radios suos.*

222. Contra superiùs dicta objici posset. *1.* Si tenebræ fuissent per totum Orbem, & tanta defectio solis, utìque plerique Ethnici Scriptores mentionem fecissent illorum. Sed apud nullum est mentio hujus. *2dò.* Quia super universam terram Eclipsis esse non poterat horâ sextâ, siquidem in media Orbis parte, nox tunc erat; in plerisquè verò aliis locis, ubi dies erat, hora sexta meridiana non erat, quia diversis in locis, diverso tempore meridies est. *Respondetur ad unam* Objectionem verbîs S. Thomæ 3. p. q. 44. art: 2. *Potuit hoc contingere, quia Astrologi ubique terrarum tunc temporis existentes, non solicitabantur de observanda eclipsi, quia tempus non erat, sed illam obscuritatem ex aliqua passione, àëris accidere putaverunt: sed in Ægypto, ubi rarò nubes apparent propter àëris serenitatem, permotus est Dionysius & Socii ejus, ut prædictam circa illam obscuritatem observarent.* Imò & Phlegon, eam observavit; & alii ut constat ex dictis suprà. *Objectioni 2dæ satisfit,* dicendo: Evangelistas non significare Eclipsim factam, dum hora sexta erat in omnibus terræ regionibus; sed eo tempore, quô hora sexta erat in Judæa; in aliis verò regionibus poterat esse alia hora. Nequè item significant, Eclipsim in ea terræ parte, factam, in qua erat nox, sed in ea, in qua dies fulgebat.

Luna etiamne tunc apparuit Sanguinolenta?

223. *Nota.* Probabilè est, in illa mirabili Eclipsi. Solis, Lunam tunc apparuisse sanguinolentam extraordinariô modô. *Ratio est.* Quia Propheta Jòël, cap: 2do. v. 31. *Sol* (inquit) *convertetur in tenebras, & Luna in Sanguinem.* S. Hiero-
" nymus explicando verba prædicta, ait. [Sol versus est in te-

nebras,

nebrîs, quando pendentem Dominum suum videre non est " ausus: & Luna in sanguinem. Quod juxta historiam factum " esse credamus, & ab Evangelistis silentiô prætermissum: nequè " enim omnia, quæ fecit Dominus, ab Evangelistis referuntur.] Et Glossa interlinearis. *Lunam* (inquit) *conversam esse in sanguinem, etsi Evangelistæ non memorant, tamen ad literam factum esse credimus.*

Antequam alia quæsita, in præsenti Quæstione proponantur.

224. *Præmitto.* S. Matthæus dicit cap: 27. *JESUS emisit Spiritum. Et ecce* (id est, statim postquam emisit Spiritum, ut annotavit S. Augustinus lib 3tio de Cons: Evang: cap: 9.) *Velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum. & terra mota est, & petræ scissæ sunt &c.* S. Lucas, usus est anticipatione, dum priùs scissi veli meminit, quàm mortis Domini. Porro sciendun, duo fuisse templi vela, unum in ostio Oraculi, seu ante *Sanctum Sanctorum*; alterum, in ostio Domûs exterioris, seu ante *Sanctum*: ut apertè testatur Josephus hebræus historicus, (qui floruit sub Vespasiano Imperatore) Lib 6tô belli Judaici. cap: 6to. & S. Cyrillus lib: 12. in Joan: cap: 37. Origenes, & passim alii. *Sanctum* erat, quasi Navis templi , in quod Sacerdotes quotidie ingrediebantur. *Sanctum Sanctorum* erat quasi chorus & Sanctissima pars templi, ideoquè semper erat clausum, nec ullus illud ingredi poterat, nisi Pontifex, idquè semel tantùm in Anno, nempe in Festo Expiationis. ut patet ex cap: 16. Levitici. Hoc præmisso. *Velum Templi duplex.*

225. *Quæritur 3tiò. Quodnam velum fuit scissum in duas partes à summo usque, deorsum?* Vel ut dicit S. Marcus. *Scissum in duo, à summo usque deorsum.* Respondet S. Hieronymus Epis: 150. quæst: 8. ad Hedibiam. *Mihi* (inquit) *videtur, in Passione Domini, illud velum esse conscissum, quod in tabernaculo & in templo, foris positum fuerat, & appellabatur exterius.* Idem sentit Origines & alii nonnulli. Communis tamen sententia est, Velum, ante Sanctum Sanctorum fuisse scissum. & ita sentit S. Cyrillus locô suprà citatô, S. Leo, sermone 10. de Passione. Euthymius, *Scissum fuit Velum nobilius.*

thymius, Cajetanus, Suarez, Barradius & alii. Ratio eſt, Quia decebat, velum illud ſcindi in morte Domini, quod erat nobilius, non ſolùm verò ignobilius. Licèt autem, occultum erat, potuit Dominus facere, ut facilè manifeſtaretur. Dionyſius Carthuſianus in cap: Matth: 27. opinatur, utrumque velum ſciſſum eſſe.

226. *Quæritur 4tò. Cur ſciſſum fuerat hoc velum? Reſpondet* S. Hieronymus in cap: 27. Matth· *Velum templi ſciſſum eſt, & omnia legis Sacramenta, quæ priùs tegebantur, prodita ſunt, atque ad gentium populum tranſierunt.* S. Thomas in 3. quæſt. 45. art. 4. ad 3. *Diviſum* (inquit) *eſt velum, ad oſtendendum reſerationem myſteriorum legis.* Alii dant rationem, quam & approbat Theophylactus. *Sicut* (inquit) *erat mos Judæis in blaſphemiis contra Deum ſcindere veſtes; ita nunc quoquè divinum templum quaſi ægrè ferens Chriſti mortem, diſrupit veſtem ſuam, hoc eſt velum.* Idem Theophylactus in cap: 15. Marci ait: *Per ſciſſionem Veli manifeſtavit Deus, quòd Spiritus è templo evolet, & quòd Sancta Sanctorum, omnibus conſpicua & manifeſta fiant.* Item S. Hilarius. *Veli honor* (inquit) *cum cuſtodia Angeli protegentis aufertur.* Sanctus verò Ephrem, Diaconus Edeſſenus (cujus libri, teſte S. Hieronymô publicè legi ſolebant in Eccleſiis poſt lectionem Scripturæ Sacræ) is inquam S. Ephrem, Sermone de Paſſione Domini. ſcribit, quòd, dum velum templi ſciſſum eſt, columba ex templo evolaverit. eſtq; per hoc ſignificatum, quòd poſt Chriſti mortem, innocentia, Sanctitas, omniſq; virtus & ſapientia â Judæis ad Chriſtianos avolaret.

Ratio multiplex, cur terra mota, petræ ſciſſæ, monumenta aperta?

227. *Quæritur 5tò. Cur, Chriſtô mortuô, terra mota eſt, & petræ ſciſſæ? Reſpondet* S. Thomas locô ſuprà citatô. *Terra mota & petræ ſciſſæ ſunt, ad oſtendendum, quòd lapidea hominum corda per ejus Paſſionem emollirentur; & quòd totus Mundus, virtute Paſſionis Ejus, erat in melius commutandus.* Theophylactus ait. in Matth: cap: 27. *Elementa commota declarant Eum qui patiebatur, Opificem ſuum; & factam rerum tranſmutationem. Facta igitur eſt mutatio viſitationis Dei à Judæis in gentes. Et petræ, hoc eſt*

lapi-

lapidea Gentilium corda, divisa sunt, & susceperunt semen veritatis. Mota est terra, Tum etiam ad iram Dei indicandam: juxta illud Psalmi 17. *Commota est & contremuit terra & fundamenta ejus conturbata sunt, quoniam iratus est eis.* Tum quia significabatur illo motu, naturalis quasi terræ sensus, ad tantum scelus commissum in Dominum suum. Durissima saxa scinduntur, ut in morte Redemptoris corda hominum scindantur saxea. S. Ambrosius considerans scissionem petrarum, lib. 10. in Lucam. meritò exclamat. *O duriora saxîs pectora Judæorum! scinduntur petræ, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet, Orbe concusso.*

228. *Nota hìc, primò.* Tota tunc terra mota est vehementissimè, ita ut totus terræ globus è centro suo convulsus contremuerit, & concussus sit, ur plerique docent cum Paulo Orosio, S. Augustini discipulo. lib. 7. historiarum ab Orbe condito, Cap: 4. Hujus terræ motûs est testis & Phlegon. vide suprà, numerô. 217. Quin & Plinius librô 2dô. Cap: 84. testatur, sub Tiberio (sub quo passus est Christus Dominus) ingenti terræ motu dirutas esse duodecem Civitates in Asia. Et quia Mare cum terra unum globum efficit, ideo moriente Christo, Maria etiam ubiq; ferè, fluctibûs horrendîs insonuerunt & exundârunt

229. *Nota 2dò.* S. Cyrillus, Jerosolymitanus Episcopus, Catehesi 13. ait. *Hactenus Golgotha* (mons ubi Christus crucifixus) *monstrat, ubi propter Christum petræ scissæ sunt.* Et S. Lucianus Antiochenus Presbyter & Martyr, fidei suæ rationem Præsidi reddens. *Adstipulatur* (inquit) *his ipse in Jerosolymis locus & Golgothana rupes, sub patibuli onere disrupta.* Clariùs hoc ipsum enarrat Adrichomius in Descriptione Jerusalem. num: 252. dicens: *Cujus rei etiam hoc præclarum in petroso Calvariæ monte adhuc exstat argumentum; ibi enim conspici etiam nunc potest illa, quæ sub manu Christi læva à sinistris pendentis Latronis in Cruce, in Morte Domini facta est scissura; in qua Dominici Sanguinis colorem adhuc deprehendere licet. Cujus quidem scissuræ ea est latitudo, quòd humani corporis crassitiem, facilè capere possit. Profunditas verò tanta, quòd*

ab hujus rei curiosis dimissa bolide, nequaquam potuit investigari; ut verisimile sit, in infernum usquè patere; & quemadmodum Latroni dextro, via per Christi mortem, in Cœlum reserata est: ita per petræ hujus scissuram, Latroni sinistro (ut olim rebelli Core. Numerorum cap: 16.) iam in infernum apertam esse.

230. *Nota 3tiò.* Non tantùm Jerosolymis, sed & in plerisquè aliis Orbis terrarum partibus, ut ait Card: Baronius. ad Annum Christi 34. scissos montes eodem terræ motu, incolæ firma traditione testantur, nempe in Hetruria, Montem Alverniæ dictum, & propè littus Campanum Cajetæ promontorium; inde horrenda illa utriusque montis petrarum præcipitia. Nam scissas tunc esse petras montis Alverniæ, in quo S. Franciscus, Sacra Stigmata Christi Crucifixi recepit, revelavit S. Angelus eidem Sancto ibidem oranti. Unde mira fuit hujus Sancti, erga illum montem devotio. Vide Vadingum in Annalibus Minorum. Annô Christi 1215. num: 15.

231. *Quæritur 6tò. Quarenam* (teste S. Matthæo, Cap: 27. statim post mortem Christi) *monumneta aperta sunt? Respondet S. Thomas* locô suprà citatô. *Aperta sunt monumenta ad ostendendum, quòd per Ejus mortem, mortuis vita daretur.* Et S. Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi 13. ait. *Defecit Sol, propter Justitiæ solem: petræ scissæ sunt, propter spiritualem Petram; Sepulchra aperta sunt, & mortui surrexerunt, propter Eum, qui est inter mortuos liber, & emisit ipse vinctos de lacu non habente aquam.* S Ambrosius lib: 10. in Lucam. *Monumentorum* (inquit) *reseratio, quid aliud, nisi claustrîs mortis effrâctis, resurrectionem significat mortuorum?*

232. *Nota hìc 1mò.* S. Matthæus, postquam dixit: *monumenta aperta sunt.* addit. *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem Ejus, venerùnt in Sanctum Civitatem & apparuerunt multis.* Hi Sancti tamen ex monumentis non prodierunt, nec resurrexerunt, nisi post resurrectionem Christi; ut innuit S. Matthæus suprà. & S. Paulus ad Colossenses cap: 1mo. v. 18. ubi Christum vocat *Primogenitum mortuorum, & Primitias resurgentium.* Etiam S. Hieronymus

mus dicit. *Quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic & multa Corpora Sanctorum resurrexerunt, ut Dominum ostenderent resurgentem. Et tamen, cùm monumenta, aperta sint, non antea resurrexerunt, quàm Dominus resurgeret, ut esset Primogenitus resurrectionis ex mortuis.*

233. *Nota 2dò.* Incertum est. Utrum hi Sancti post resurrectionem, rursum sint mortui, & ad sua monumenta redierint? an verò manserint semper vivi & in gloriosis corporibus. incertum inquam est. siquidem tam sententiam affirmativam, quàm & negativam, tuentur gravissimi Patres & Theologi. ut in Libro meo de Judicio extremo. deduxi in Disp: 3tia. pag: 98. Vide & P. Salmeronem, qui hac de re agit amplissimè Tomô 10. in Tractatu 47. nec non P. Barradium Tomô 4. in Evangelia. libro 7. cap: 21. Porro verosimile est (ut ait Cornelius à Lapide cum nonnullis) eos tunc Sanctos resurrexisse cum Christo, qui peculiarem ad Christum relationem, vel parentelæ vel promissionis sibi factæ, vel typi & figuræ, vel Fidei & spei, vel Castitatis, & sanctitatis, habuerunt; utì fuêre Adam, Abraham, Isàác, Jacob, Melchisedech, David, qui nonnisi in terra promissionis sepeliri voluerunt, ut Resurrectionis Christi forent participes. Item Job & Jonas, qui resurrectionem Christi adumbrârunt: adhæc Moyses, Josue, Samuel, Isaias, Jeremias, Ezechiel, aliique Prophetæ. Alii addunt Zachariam & Simeonem. P. Raynaudus Tomô 9nô. in libro, cui titulus: *Metamorphosis Latronis in Apostolum.* Cap: 13. opinatur, resurrexisse tunc etiam bonum Latronem.

234. Prodigiis seu miraculis quæ ex Evangelio habentur, adjungi potest aliud admiratione dignum, factum (ut multi credunt) sub mortis Christi diem. Scilicet, ut ex Plutarcho Eusebius, lib: 5. de Præparat: cap: 9. narrat. Circa insulas quæ appellantur Echinadæ, à quibusdam Romanis ex Ægypto in Italiam navigantibus, auditam fuisse vocem, Gubernatori navis præcipientem. *Quando juxta paludem fueris, annuntia, Pan magnum mortuum esse.* Quod cum ille fecisset, magnus gemitus, auditus est quorundam discedentium in illo loco. Quod plerique referunt

ad mortem Christi, per quem Princeps hujus Mundi foràs eje- ctus est. Vide Card: Baronium ad annum Christi 34. Refert itidem Paulus à Palatio, in Commentario suo super Matthæum, aliud prodigium ex revelatione S. Brigittæ. Nempe Eodem momento, quô Christus exspiravit, omnes homines, qui ubique terrarum erant, subitò quodam horrore ac timore fuisse perculsos, causam illius effectus ignorantes.

QUÆSTIO XXIX.

De Titulo Crucis. & apertione Lateris Christi.

Textus Evangelicus de titulo & apertione Lateris.

235. PRæmitto. S. Joannes, Cap: 19. versu 19. & seq: habet hæc. *Scripsit autem titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum. JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt, quia prope Civitatem erat locus, ubi crucifixus est JESUS: Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere Rex Judæorum; sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* Item & in eodem cap: 19. v. 31. & seq: de apertione Lateris habet hæc. *Judæi ergo quoniam Parasceve erat* (id est, Feria 6ta. Omnis enim feria sexta, nomine græco dicebatur, *parasceve*, id est præparatio: quia in ea præparabantur cibi in Sabbatum, quos ipso Sabbato præparare non licebat) *ut non remanerent in Cruce corpora, sabbatô; erat enim magno dies ille Sabbati.* (quia scilicet erat sabbatum Paschale, sive incidens intra octavam Paschæ, ideoque cæteris solennius, quia duplici titulô festum: nempe, primò, Sabbati: secundò, Paschæ) *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur* (id est, validis mallei aut vectis ferrei ictibûs rumperentur) *eorum crura* (ut citiùs morerentur) *& tollerentur. Venerunt ergo Milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt Eum jam mortuum, non fregerunt Ejus*

Parasceve, quid est?

crura

crura; sed unus Militum, lanceâ Latus Ejus aperuit, & continuò exivit Sangvis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur (in sensu allegorico, non literali, literalis enim est de Agno paschali) *Os non comminuetis ex eo.* (iusserat enim Deus, Exodi Cap: 12. *v.* 46. ut in Agno paschali comedendo, ossa nulla comminuerentur. Agnus autem paschalis fuit figura Christi, juxta illud etiam S. Pauli 1ma ad Corinthios, Cap; *5.* v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* & quæ de modo occidendi & comedendi Agni Judæis à Deo constituta fuerunt, ea Christum respiciebant.) *Et iterum alia scriptura dicit:* (Zachariæ cap; 12. v. 10.) *Videbunt, in quem transfixerunt.* seu ut habet Syriaca Versio: Videbunt, quem perfoderunt. Hoc præmisso.

236 *Quæritur 1mò. Quarenam Pilatus titulum non scripsit: JESUS Nazarenus qui se Regem finxit, vel fecit; sed, JEsus Nazarenus Rex Judæorum?* Respondet S. Chrysostomus Homiliâ 84. in Joannem. Id Pilatum fecisse ob duas causas *1.* Ut Christum excusaret, ne putaretur à vulgo, fuisse latro vel Princeps latronum, ut pote cum illis & quidem in medio illorum crucifixus. *2.* Ut Judæos ulcisceretur. Verba hujus Sancti Patris sunt hæc. *Pilatus, cùm Eum, tanquam pravum tradidisset, & sententiam hanc, latronum societate confirmare vellet, nequis tam turpem mortis notam inurere, & tanquam malum & peraïtum, Eum accusare posset, ut calumniantium os obstrueret, in Regem suum insurrexisse, & denuntiat & tanquam trophæo cuipiam literas insculpsit, clara voce & victoriam & Regem profitentes, quamvìs non perfectè. Item. Ut Judæos ulcisceretur. Erat enim propter ipsorum pertinaciam eis offensus, propterea ignominiâ hac eos afficere voluit, qui suum Regem crucifixerint, ignominia enim populi est, tam turpis & ignominiosa mors Regis.* Et S. Augustinus in Psalmum 56. dicit: *Titulus hic scriptus & ad exprobrandam frontem Judæorum, quòd à Rege suo manus non abstinuerunt.* Idem dicit Theophylactus. [Pilatus partim (*inquit*) ulciscens se de Judæis, ut sibi inobedientibus & ostendens malitiam eorum, quòd insurrexerint contra pro-

Causa triplex hujusmodi tituli.

tra proprium Regem, partim & gloriam Chriſti defendens, quia enim illum cum latronibus crucifixerant, coinquinare nomen volentes, Pilatus oſtendit quòd non fuerit latro ſed Rex eorum] Quod quidem notaſſe videntur & Judæi; unde diſplicuit illis titulus: *Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum. Noli ſcribere Rex Judæorum, ſed quia ipſe dixit. Rex ſum Judæorum.* ſed Pilatus illorum rejecit poſtulatum, inquiens: *quod ſcripſi, ſcripſi.* Probabilius tamen eſt, ut notant plurimi Interpretes Scripturæ, voluiſſe Pilatum titulo illo demonſtrare cauſam, cur Chriſtum crucifixerit, ſcilicet, quia ſe Regem Judæorum faciebat, & reus dicebatur à Judæis læſæ Cæſareæ majeſtatis. More enim Romano ſolebat ad mortem damnatis, præfigi titulus, qui crimen & cauſam mortis indicaret: Et ita, ut ſcribit Euſebius lib: 5. Hiſtor: Eccles: cap. 1mo. S. Attalo Martyri præfixus erat titulus: *Hic eſt Attalus Chriſtianus.* ſubintelligitur, cauſam ſupplicii eſſe, quòd ſit Chriſtianus.

Chriſtus fuitne pro Rege habitus à Pilato?

237. *Nota 1mò.* Ex P. Suarez. Pilatus non intellexit Chriſtum eſſe Regem eô modô, quô nos credimus Eum eſſe Regem & Dominum totius Mundi; nec intellexit Eum eſſe Regem Judæorum; hæc enim & ſimilia, non poſſunt ullo ſufficiente fundamento affirmari. Quia tamen certò ſciebat, Chriſtum eſſe innocentem, ut ſæpè confeſſus eſt, & ab ipſomet audierat ſe Regem eſſe non tamen hujus Mundi, non credidit Ipſum mentiri: ſed confusè intellexit Eum habere inter Judæos regiam dignitatem alterius rationis à Regno temporali, pertinente ad ritum Judaicum; ſicut Pontifices & Prophetæ habebant inter Judæos ſingularem excellentiam & dignitatem. Itaq; veriſimile eſt, intellexiſſe, Virum ab illorum Deo miſſum, eiſquè datum ut in rebus ad religionem pertinentibus eos inſtrueret & gubernaret. Et hoc ſenſu aliove ſimili vocâſſe illum Regem Judæorum, atquè ita, non in Chriſti ignominiam & accuſationem; ſed potiùs in excuſationem & honorem, atque in Judæorum opprobrium & indignationem, hunc titulum poſuiſſe. Erat enim illis infenſus propterea, quòd in procuranda morte Chriſti innocentis, fuerant ei moleſtiſſimi.

238.

238. *Nota 2dò.* Describitur variè ipse titulus ab Evangelistis. S. Matthæus cap: 27. ait. *Et imposuerunt super Caput Ejus causam ipsius scriptam: Hic est JESUS Rex Judæorum.* S. Marcus cap: 15. dicit. *Et erat titulus causæ ejus inscriptus, Rex Judæorum.* S. Lucas verò cap: 25. *Erat autem & superscriptio scripta super Eum literîs Græcîs, & Latinîs, & Hebraicîs: Hic est Rex Judæorum.* demum S. Joannes cap: 19. *scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem: erat autem scriptum: JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Et erat scriptum hebraicè, græcè, & latinè.* Nullo tamen modo inter se contrariantur Evangelistæ, eandem enim rem continent licèt diversis verbîs; ea tamen, quæ Joannes retulit, sunt revera ipsamet, quæ scripta erant in titulo, ut nunc etiam conspiciuntur Romæ in Basilica Sanctæ Crucis in Jerusalem. Qui titulus, nomen, patriam, & causam necis exponit. Nomen, *JESUS* est Patria, *Nazarenus.* Sic enim vulgò appellabatur: JESUS Nazarenus. Matth: cap: 21 v. 11. Causa. *Rex Judæorum.*

239. *Nota 3tiò.* Ex Titulo Romæ asservato patet, characteres tituli, non esse descriptos calamô. in charta aliqua, utì olim Lyranus opinabatur; sed ferreô instrumentô exaratos in ipsa lignea tabula, quam tribus clavis fuisse Cruci affixam, asserit S. Cyprianus Serm: de sina & sion. *Pilatus in capite signi,* (inquit) *clavîs tribûs tabulam cum nomine Regis Judæorum confixit.*

Titulus in tabula fuit exaratus.

240. *Nota 4tò.* Si dicatur Tolosani gloriantur se habere Crucis Titulum. Quomodo ergo verus titulus dicitur esse Romæ in templo S. Crucis? *Respondetur* cum eruditissimo & Fidei Catholicæ fortissimo Defensore, P. Jacobo Gretsero lib; 1. de Sancta Cruce, Cap: 82. Quòd in duobus locis reperiri fertur titulus, id ideo forsan evenit, quia in duobus locis, pars tituli habetur, Romæ enim non est integer. Quid igitur mirum, si tituli pars sit & Romæ, & Tolosæ? Quod si Tolosæ integer ostenditur, id fortè fit, quia parti tituli genuini, apposita est alia, integrandi causâ, non vituperandô sed laudandô potiùs studiô. Quodsi pia deinceps populi persvasione totus titulus ille pro primo habitus est, culpâ caret credulitas; siquidem non

Ad Obiectionem propositam Responsio diligēter notanda.

ipse titulus per se, sed is per titulum honoretur, cui initiò adscriptus fuit. *Hinc facilè etiam potest desumi Responsio ad Hæreticorum calumnias*. qui mentiuntur, Catholicos venerari aliquot duodenarios clavorum, tot enim diversis in locis clavos pro Dominicis venditari. *Respondetur enim cum eodem Doctissimo Gretsero Cap: 23.* Dicant isti calumniatores quisnam ex Orthodoxis, plures, quàm quatuor clavos agnoverit? Nec plures quàm tres aut quatuor reperire possunt, licèt plures eorundem Clavorum dominicorum particulas, diversissimis in locis reperiri nihil prohibeat. Veteres enim instrumentorum Passionis Dominicæ amantissimi, ubi vel minimam particulam ex Clavo Dominico nacti essent, integro clavo thesaurum illum sacratissimum includebant. Unde accidit, ut ob aliquam partem Clavi Dominici, totus clavus sacer censeretur. Multi quoquè ad imitationem clavorum Dominicorum, alios sibi fieri curabant, ejusdem formæ & magnitudinis, ut cùm non liceret, ipsum prototypum obtinere, saltem effigiem ex illo expressam & effictam possiderent & colerent. Ast non propterea multiplicati sunt ipsi clavi Dominici, sed potiùs ipsorum similitudines & imagines Fortè etiam alicubi accidit, ut clavus aliquis inter sacras reliquias asservatus, quô mystica Christi membra, nempe Martyr quispiam confixus est, unus ex ipsis Passionis Christi Clavis fuerit existimatus; quod rectè observavit Cardinalis Baronius ad Annum Christi 326. Sed quidquid sit, fides purgat factum; cùm nemo fidelium, ferrum per se colat, sed Christi Passionem veneretur, & adoret in ferro; Potuit etiam fieri ut clavi tres, quibus (ut asserit S. Cyprianus) affixa fuit Cruci, Tabella seu Titulus; clavi Crucis simpliciter dicerentur, & haberentur. Quod hìc de Titulo & Clavis dictum est id similiter ad alia Passionis Dominicæ instrumenta & Reliquias accommodandum est, si quæ pluribus in locis reperiri dicuntur.

Latronum crucibus tituli non affixi.

241. *Nota 5tò.* Multùm probabile est, latronum crucibus non fuisse titulos inscriptos & superimpositos. Ratio est. Quia id asserit S. Chrysostomus Homiliâ 84. in Joannem. *Latro-*

num

num (inquit) *crucis titulum non habebant.* Idem sentit Euthymius in cap: 27. Matth: & Theophylactus in 19. Joan: Nec ullus veterum scriptorum de latronum titulis quidquam tradidit. Quodsi quæratur. Cur ergo Christo titulus appositus? Responderi potest cum P. Suarez. Quia Christi causa erat insignior & illustrior: licèt enim fortè hujusmodi titulus non omnibus solebat apponi; probabile tamen est, in causis insignibus, hunc morem esse servatum.

242. *Quæritur 2dò. Quare titulus, tribûs linguîs, nempe hebraicâ, græcâ, & latinâ, fuit exaratus?* ut testatur S. Lucas & S. Joannes. *Respondet* Euthymius cap: 67. in Matth: *Id factum ideo, quòd tunc multi ad Civitatem Jerusalem venerant Judæorum græci & latini. Verisimile etiam est* (inquit Theophylactus) *multos Gentiles propter festum commiscuisse se Judæis, sicut & Evangelista superiùs docuit, de quibusdam Gentilibus qui, videre volebant JESUM.* Ut igitur ab omnibus gentibus & Nationibus quæ ad diem festum Jerosolymam venerant, legi posset, ideo scriptus titulus est illîs tribûs linguîs, illæ enim erant præcipuæ & frequentiores in Orbe. Hebræa, propter antiquitatem, & quia illius Regionis erat propria. Græca, propter Sapientiam & eloquentiam Græcorum, Latina, propter Romanorum potentiam & gloriam. Addit insuper Theophylactus. *Hoc licet non è mente scribentis, symbolum fuit, quòd potentissimi gentium, quales Romani; & sapientissimi, quales Græci; & Religiosissimi, quales Hebræi, Regno Christi subjiciendi essent.* *Titulus cur tribus linguis expressus?*

243 *Quæritur 3tiò. Christus Dominus fuitne jam in Cruce mortuus, dum lanceâ apertum est latus ejus? Respondetur affirmativè* estquè hæc assertio de fide contra nonnullos, quorum Dux fuit quidam Petrus Joannes, qui dicebat, Christo adhuc viventi lanceâ vulnus inflictum fuisse. *Responsio probatur.* Tum expresîs verbîs S. Joannis cap: 19 *Ad JEsum autem cùm venissent, ut viderunt Eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus Militum lanceâ latus Ejus aperuit.* Inquam aperuit non (sicut erroneè suprà nominatus Petrus Joannes legit) *Aperuerat* *Christo jam mortuo apertum est latus. & Quare?*

rüerat ut ſic facilius poſſet referri ad illud tempus, in quo Chriſtus adhuc vivebat. Tum quia Clemens V. cum Concilio Viennenſi in Clemen: de ſumma Trin: & fide Cath: damnat doctrinam illius Petri Joannis & ejus ſequacium verbîs hîs. *Nos igitur ad tam præclarum Evangeliſtæ teſtimonium & Sanctorum Patrum ac Doctorum communem ſententiam Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) faciem convertentes, ſacrô approbante Conciliô declaramus prædictum Apoſtolum & Evangeliſtam Joannem, rectum in præmiſſis factæ rei ordinem tenuiſſe, narrando, quòd Chriſto jam mortuo unus Militum lanceâ latus Ejus aperuit.*

243. *Nota. Si dicatur.* Poſt mortem planè ceſſat meritum. Ergo ſi Chriſto jam mortuo, lanceâ apertum eſt latus, ſequitur, Chriſtum nihil jam meruiſſe hac apertione lateris. *Ad hanc objectionem* reſpondendum eſt cum Cornelio à Lapide & aliis. Chriſtum meruiſſe. nam Chriſtus vivens, ſciebat ſibi hoc vulnus poſt mortem inferendum, illudquè vivens acceptavit, & Patri pro nobis obtulit, illô ergo meruit & operatus eſt ſalutem noſtram. Pater Theophilus Raynaudus Tomô 13 in libro de ſtigmatiſmo ſacro & profano, mihi, foliô 102. reſpon-
" det; [Quia hoc ſtigma impreſſum Chriſto poſt obiectam mor-
" tem Corporis, & quia poſt mortem planè ceſſat meritum,
" idcirco receptio ſtigmatis lateralis per ſe ac in ſe ſumpti, non
" fuit Chriſto meritoria, ut rectè ſtatuit Cardinalis Vigerius lib:
" de Inſtrumentis Dom: paſſionis. Cap: 6. & 7. Tractatus 4ti.
" Potuit tamen ſtigma laterale, poſt mortem impreſſum objectivè
" fundare meritum, formaliter inexiſtens illi actui quô Chriſtus,
" ante mortem prævisâ hac lateris ſui perfoſſione, illam accepta-
" vit, prius quàm inferretur, & Deo in litri noſtri partem obtulit.]

244. *Quæritur 4tò. Cur unus Militum lanceâ latus Chriſti aperuit? Reſpondet* S. Cyrillus lib: 12. cap: 39. Egit hoc miles. quia *ſubdubitans an mortuus eſſet*; ut nempe ſciret, certòne mortuus eſſet, etſi fortè non eſſet, hoc vulnere mortem ipſi inferret. Curæ enim erat Militibus his, ut pote cuſtodibus, effi-

cere,

cere, ut sententia Judicis Pilati compleretur, nec aliqua ratione frustraretur, morte non subsecuta. Addit S. Chrysostomus Homilia 84. in Joannem. *Ad conciliandam Judæorum gratiam, Latus Ejus aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem ac sceleratissimam!* S. Brigitta lib: 7. cap: 15. ait. *Venit unus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in Ejus latere dextro, tam validè, quòd quasi per aliam partem corporis, lancea voluit pertransire.* Indignè enim ferebat miles (ut quidam uolunt) JESUM tam cito mortuum, eripuisse se crurifragio, & contumeliis quibus speraverat se adhuc posse illum illudere.

245. *Nota.* Miles ille, qui lanceâ aperuit latus Christi, vocatur Longinus. Unde S. Augustinus in Manuali. Cap: 23. ait. *Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ & ego illuc intravi & ibi requiesco securus.* Et S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria Rerum Ecclesiast: *Vice lanceæ* (inquit) *quæ transfixit Christum in cruce à Longino, est hæc lancea.* In Martyrologio item Romano, Die 15. Martii legitur. *Cæsareæ in Cappadocia passio S. Longini Militis, qui latus Domini lanceâ perforasse perhibetur.* Græci autem 16. Octobris in suo Monologio memoriæ Longini recolendæ adscribunt. Vicelius refert, nonnullos dixisse, nomen Longinus ductum esse à nomine græco *Lonche*, quod significat, hastam; sed si ab hoc nomine duceretur, vocandus esset à græcis *Lonchinus*, qui cùm tamen ab iis nominetur *Longinus*: Probabiliùs est sic dictum à longitudine corporis. Tradiderunt quidam, ut narrat Petrus Comestor (floruit is Annô Christi 1150.) cap: 179. suæ Historiæ. hunc Longinum vitiosos & caliginantes habuisse oculos; verùm cùm casu Christi Sanguinem è Sacro latere effluentem, illis admovisset, exnunc videndi acumen recuperasse. Hujus miraculi inter alios meminit celebris Baptista Mantuanus in libro Festorum dierum. sic de Longino Martyre scribens.

Quisnam Miles ille fuit, qui Lanceâ latus Christi aperuit?

Tu cæcus non mente minùs quàm Corpore, Sanctum
Lanceâ, & admoto Pectus mucrone petisti.
Inde cruor confusus aquis hostilia circum

 In di-

In digitos lapsus tetigit cùm lumina, morbum
Sustulit: ista Deus collyria misit ut atram
Ex animo, ex oculis fugiens Aorasia nubem
Secum ageret, Vitæque daret te cernere Fontem.

Videtur autem hæc opinio orta ex verbis Joannis. *Et qui vidit, testimonium perhibuit* &c: hoc est Miles cæcus, qui vidit sanguine Christi inunctis oculis, testatus est. Sed non ad Militem, sed ad Joannem verba hæc spectant.

Quodsi objiciatur huic miraculo. Non potuisse Militem esse cæcum. Responderi potest, non fuisse cæcum absolutè, sed vel altero oculo privatum vel oculis malè affectis. Ita Pater Berradius.

Dextrum Latus Christi vulneratum?

246. *Quæritur 5tò. Quodnam apertum latus, dextrumne, an sinistrum? Respondetur* cum communiori Interpretum Sacræ scripturæ sententia, quod dextrum; quam etiam sententiam tenet Innocentius 3tius lib: 2do de Mysteriis Missæ. Cap: 58. S. Bonaventura in Medit: cap: 80. & S. Nazyanzenus in Tragædia. *Adegit ille lanceam in dextrum latus.* Et S. Bernardus Ser: 7. in Psalmum. *Qui habitat* ait. *Dominus dextrum sibi latus passus est propter me fodi. Confirmatur* responsio Tum ex verbis S. Brigittæ suprà citatis. Tum quia S. Franciscus Seraphicus recipiens à Christo Crucifixo quinque stigmata in solitudine montis Averni accepit stigma in latere dextro æquè ac in manibus & pedibus. ut testatur S. Bonaventura in ejus Vita. Tum quia videtur id prædictum ab Ezechiele cap: 47. v. 2. *Et ecce aquæ redundantes à latere dextro.* Tum quia picturæ Antiquæ Christi dextrum latus sauciatum repræsentant.

Quantum fuit illud vulnus?

Nequè dicas. Utique Miles Cor Christi petebat lanceâ. Ergo percussit latus sinistrum, non dextrum. *Respondetur* enim percussisse latus dextrum, & per latus petisse Cor ipsum.

247. *Nota.* Miles lanceâ illâ per latus dextrum adactâ transfixit Cor. Affirmat hoc S. Brigitta lib: 2. cap: 21. *In corde punctus erat tam amarè & immisericorditer, quòd* pungens non destitit, donec lanceâ attigit costam, & ambæ partes Cordis essent

in

in lancea. Et Divus Cyprianus de duplici Martyrio dicit Christum amisisse quidquid resederat in Corde, Sanguinis. Imò Aurelius Prudentius Pòëta Christianus (qui floruit Annô Christi 390.) in pluribus locis suorum Carminum de Passione. asserit quòd cuspis illius lanceæ adacta per latus dextrum, transierit per Cor, & exierit per latus sinistrum ad papillam. Idemquè insinuat S. Cyprianus Tract: de Passione Christi. *De latere* (inquit) *Tuo O Christe, diversis limitibus aqua & sanguis emanant.* Quia tamen hoc Lateris sinistri vulnus fuit exiguum, ideo non computatur, Christusquè non sex sed quinque habuisse vulnera dicitur. Vulnus autem dexteri lateris fuit tantæ magnitudinis ut ei posset imponi Thomæ manus: Vulnera autem clavorum in Manibus Christi, erant tanta,ut eis posset imponi digitus Thomæ. Ut constat ex Verbis Christi ad Thomam. Joannis cap: 20. v. 27. *Infer digitum huc, & vide* (id est tange ut explicat S. Augustinus Tract: 171. in Joan: & Classici Interpretes) *manus meas & affer manum tuam huc, & mitte in latus meum.*

248. *Quæritur 6tò. Ex latere Christi aperto exivitne naturaliter, an miraculosè sanguis & aqua? Respondetur* verbis Angelici Doctoris S. Thomæ in 3. p. q 66. art. 4. ad 3. [Aqua " fluens de latere Christi pendentis in Cruce, non fuit humor " phlegmaticus ut quidam dixerunt. In tali enim humore non " posset fieri baptismus: sicut nec in sanguine animalis, aut in " vino, aut quocunquè liquore alicujus plantæ. Fuit autem a- " qua pura miraculosè egrediens à Corpore mortuo, sicut & " Sanguis, ad comprobandam veritatem Dominici Corporis " contra Manichæorum errorem; ut scilicet per aquam (quæ " est unum quatuor elementorum) ostenderetur Corpus Chri- " sti verè fuisse compositum ex quatuor elementis; per sangui- " nem verô ostenderetur esse compositum ex quatuor humori- " bus.] Hæc ille, qui iterum similia habet in quæstione 74. ejusdem tertiæ partis. Art; 7. ad 3. Imò Innocentius III. Can: quodam de celebrati: Miss: definivit veram fuisse aquam, & non phlegmaticum humorem. Porro Sanguis & aqua fluxerunt

Verus Sanguis & vera aqua fluxit de latere.

xerunt impermixta, & locô separata. Hoc enim significatur illis verbis S. Joannis. *Fluxit Sanguis & aqua;* nec item aliàs potuisset aqua à Sanguine discerni; & tamen prædictus modus dicendi, indicat potuisse distinctè cognosci & discerni & oculis videri; quod significat S. Joannes, dicendo: *Et qui vidit, testimonium perhibuit.* Id est. Ego qui aquam vidi & Sanguinem ex latere Domini effluentem testimonium perhibui.

Quid per hoc significatum? 249. *Quæritur 7mò. Cur Sanguis & aqua de latere Christi emanârunt?* *Respondetur* id factum esse ad significanda varia mysteria, inter quæ, & hæc. 1. ut dicit Innocentius III. ad significandam veritatem humanæ Naturæ assumptæ. Hoc est, quod ait. S. Joannes in sua Epist: 1ma, cap: 5. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & Sanguis.* Spiritus enim clamore valido emissus & in Paternas manus commendatus, testis fuit, in Christo fuisse veram Animam rationalem; Sanguis verò & aqua significârunt Corpus Christi fuisse verum humanum Corpus compositum ex quatuor humoribus, quorum præcipuus est Sanguis, & ex quatuor elementis, quorum unum est aqua, quæ ad hujusmodi ministerium magis erat accomodata, quàm cætera. *2dò.* Ad denotandum, ex morte & Latere Christi, quasi secundi Adæ, dormientis in Cruce, Ecclesiam, quasi Evam Christi sponsam, formatam esse symbolicè & figuratè, quòd nempe, per mortem & Sanguinem Christi, Ecclesia redempta, instituta & Sanctificata sit, quodque ut asserit S. Cyrillus & Chrysostomus, aqua significet Baptismum, qui est principium Ecclesiæ & aliorum Sacramentorum; Sanguis verò repræsentet Eucharistiam, quæ omnium Sacramentorum finis est & complementum; ad quæ duo, quasi ad principium & finem, cætera sacramenta omnia reducuntur. Unde S. Augustinus Tractatu 120. in Joannem, ait: *Ex latere Christi, Sacramenta Ecclesiæ manârunt.* Et Ratio est, quia ut S. Chrysostomus dicit. *Ecclesia & fit & consistit per Sacramenta.* Baptismô enim nascitur, Confirmatione roboratur, Eucharistiâ pascitur & perficitur, Pœnitentiâ sanatur, Extremâ unctione munitur, Ordine gubernatur,

Matri-

Matrimoniô propagatur. *3tiò.* Effusione Sanguinis & aquæ, significatur duplex baptismus, nempe aquæ & Sanguinis. Unde dicit S. Hieronymus Epist: 83. ad Occanum. *Latus Christi percutitur lanceâ, Baptismi atquè Martyrii pariter Sacramenta fundantur.* Et Divus Thomas 3. p. q. 74. art, 7. ad 2. *Effusio* (inquit) *Sanguinis directè pertinebat ad ipsam Christi Passionem. Effusio aquæ fuit ad demonstrandum effectum Passionis, qui est ablutio à peccatis, & refrigerium contra ardorem concupiscentiæ.* S. Augustinus Tomo 5. lib: 15. de Civitate Dei. Cap: 26. asserit, Ostium arcæ Nòé, hoc Vulnus Lateris Christi adumbrâsse. *Quod Ostium* (inquit) *in latere accepit, profectò illud est Uulnus, quando Latus Crucifixi, Lanceâ perforatum est. Hac quippe ad illum venientes ingrediuntur: quia inde Sacramenta manârunt, quibus credentes initiantur.* S. Cyprianus Tractatu de Passione. & alii docent, ideo inconsecratione Calicis Eucharistici miscendam esse aquam vino ut repræsentetur effusio hæc sanguinis & aquæ ex Latere Christi.

250. *Nota hìc 1mò.* Lanceæ illius ferrum, Romæ summa religione in Templo divi Petri spectandum fidelibus proponitur ac venerandum, ut scribit P. Salmeron Tomo 10. Tractatu 48. In Basilica Lateranensi Romæ reperiri dicitur (ut ait P. Gretserus lib: 1. de S. Cruce cap: 84.) *Arundo*, quam cùm illuderetur Dominus, manu tenuit. In eadem Basilica (teste Card: Baronio ad An: Christi 34.) religiosè colitur. *Spongia*, quâ Christus in Cruce acetô potatus fuit. Tempore Venerabilis Bedæ erat hæc Spongia in Calice Domini recondita, ut ipse S. Beda testatur capite 2do de Locis Sanctis.

Lancea illius ferrum ubinam asservatur? Item Arundo, Spongia?

251. *Nota 2dò*: Nicephorus, lib: 1mo. cap: 30. necnon Metaphrastes, 15. Augusti in Vitis Sanctorum. asserunt DEIparam Virginem, & S. Joannem Evangelistam, manantem è Latere Christi aquam & Sanguinem, religiosè & honorificè quantum licuit vasculô, excepisse. Ex occasione hujus. *Quæritur. Utrum aliquis Sanguis à Christo in Passione effusus, in terris manserit? Ad hoc quæsitum. simpliciter negativè respondet S. Tho-*

Mansitne aliquid in terris de Sanguine Christi in Passione effusi?

mas 3. p. q. 54. Articulô 2. In quo probat, Christi D. Corpus resurrexisse integrum, quò ad Carnem, ossa & Sanguinem absque omni diminutione: Aliàs (*inquit*) non fuisset perfecta resurrectio, si non fuisset redintegratum, quidquid per mortem ceciderat. Ad Objectionem verò ibidem hanc. *Aliquid de Sanguine Christi in quibusdam Ecclesiis reservatur pro reliquiis* (ut Mantuæ & Romæ in Basilica Lateranensi & alibi) *Non ergo resurrexit Corpus Christi cum integritate omnium suarum partium.* Respondet. *Dicendum: Sanguis ille qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxit de Latere Christi, sed miraculosè dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa.* De quo, in Martyrologio Romano, Nona Novembris leguntur hæc. *Beriti in Syria commemoratio imaginis Salvatoris: quæ à Judæis crucifixa, tam copiosum emisit Sanguinem, ut Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo ubertim acceperint.* Card: Baronius in suis Eruditissimis Notis ad Martyrologium dicit. [Vetùs consvetudo tam in Orientali quàm in Occidentali Ecclesia fuit, & hactenus perseverat, ut hac die, miraculum ex eadem imagine olim editum, annua celebritate recoleretur. In Concilio Nicæno secundo, actione 4ta, hujus rei gestæ historia recensetur. Contigit ejusmodi insigne miraculum temporibus Constantini junioris & Irenes Ait.] Aliorum tamen opinio est, aliquam partem Sanguinis effusi in Passione, manere nunc in terris. Quia Pius II. Papa, in quadam Extravaganti, datâ Annô 1461. docuit, non repugnare veritati fidei asserere Christũ reliquisse in terris aliquã partẽ sui Sanguinis ad memoriam & venerationem suæ Passionis. Eximius Doctor P. Suarez in 3. p. q. 54. articulô 4. Disp: 47. Sect: 3. dicit. Nihil hac in re affirmari potest certa ratione, sententia tamen Divi Thomæ videtur verisimilior, (inquit ille) quia totus Sanguis effusus in Passione, erat necessarius in Corpore Christi Resurgentis, & aliàs non erat sufficiens necessitas relinquendi partes ejus, eamque aliunde supplendi. Quæ ratio maximè probat de notabilis Sanguinis quantitate. Nam de una vel alia gutta, minùs esset incommodi, quòd aliquid manserit adhærens spinis, Clavis,

Lanceæ

Lanceæ, sudario &c. ut in aliquibus reliquiis nunc ostendi videtur. Quanquam ille color qui in eis apparet, fortasse non sit Sanguis, quoad substantiam, sed solùm color aliquis ex Sanguine relictus. Hæc P. Suarez, cujus sententiam cum plurimis approbo.

QUÆSTIO XXX.

De Sepultura Christi Domini.

Evangelicus textus de sepultura Christi.

252. PRæmitto. S. Joannes cap: 19. ait. *Post hæc rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, eò quòd esset discipulus JESU, occultus autem propter metum Judæorum, ut tolleret Corpus JESU. Et permisit Pilatus. Venit ergo & tulit Corpus JESU. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad JESUM nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & Aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo Corpus JESU, & ligaverunt illud linteîs cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum posuerunt JESUM.* Hoc præmisso,

Joseph ab Arimathæa cur petiit à Pilato Corpus Christi?

253. *Quæritur imò. Quid impulit Josephum ad tam heroicum & audax factum, ut scilicet adiret Pilatum, ab illo postulando Corpus Christi sepeliendum?* Verè hoc factum Josephi erat audax, unde & S. Marcus cap. 15. ait. eum audacter hoc fecisse. *Audacter* (inquit) *introivit ad Pilatum & petiit Corpus JESU.* per illud enim Pilato & Judæis infensissimis hostibus Christi, palam se ostendit esse Patronum Crucifixi.

Ad hoc quæsitum respondet imò. S. Chrysostomus. Quòd Amor Christi ad id Josephum impulerit, inquiens. *Fortitudo Joseph maximè admiranda est, cùm propter Amorem Christi, pericu-*

lum mortis susceperit, & universorum odio se tradiderit. Porro amabat Christum, nam (ut ait S. Lucas cap: 23. & S. Marcus cap: 15.) *Erat exspectans regnum Dei.* id est, credebat in Christum, & per Ejus gratiam sperabat salutem æternam, ideoq; hac spe exposuit se periculo pro Christo. *2dò.* Simeon Metaphrastes Vitam Deiparæ describens die 15. Augusti, dicit, Josephum adhuc occultum discipulum & timore detentum, B. Virginis hortatu fuisse excitatum & animatum, ut omni excussa formidine conveniret Pilatum ad Christi Corpus postulandum & sepeliendū.

254. *Nota hìc 1mò.* S. Gregorius Turonensis Episcopus lib: 1. Hist: cap: 21. ex Actis Pilati ad Tyberium Romam transmissis refert hæc. *Apprehensus & Joseph, qui Christum Aromatibus conditum, in suo monumento recondidit, in cellam includitur, & ab ipsis Sacerdotum Principibus custoditur: majorem in eum habentes sævitiam, quàm in ipsum Dominum: cùm ille à Militibus, hic à Sacerdotibus, custodiretur. Sed resurgente Domino, custodibus visione Angelica territis, cùm non inveniretur in tumulo, nocte parietes de cellula in qua Joseph tenebatur suspenduntur in sublimi; ipse verò de custodia, absolvente Angelo liberatur, parietibus restitutis in locum suum: cùmquè Pontifices Militibus exprobrarent, & Sanctum Corpus ab iisdem instanter requirerent dicunt eis Milites Reddite vos Joseph, & nos reddemus Christum, sed ut verum cognovimus, nec vos benefactorem Dei, nec nos Filium Dei reddere nunc valemus: Tum illis confutatis, Milites ab hac acusatione liberantur.*] De certitudine Historiæ hujus Vide Card: Baronium ad Annum Christi 34.

De Josepho Historia admiranda.

255. *Nota 2dò.* Prædictus Josephus erat homo dives ut ait S. Matthæus cap: 27. oriundus ex Civitate Arimathæa distante Jerosolimis, 20. Milliaribus. Fuitq; (ut dicit S. Lucas cap: 23.) *Decurio, Vir bonus & justus, hic non consenserat consilio & actibus Judæorum* de capiendo & crucifigendo Christo. Vnde, *quidam* (inquit S. Hieronymus) *putant de ipso primum Psalmum esse compositum. Beatus Vir qui non abiit in Consilio impiorum.* Nomen *Decurio* non significat hoc loco eum, qui decem

Quisnam fuit hic Josephus.

cem præest Militibus, sed significat *Consiliarium* & *Senatorem* ut docet S. Hieronymus, Theophilactus, Glossa, & omnes Classici Interpretes. Unde & S. Beda ait: *Decurio vocatur, quòd sit de ordine Curiæ, & Officium Curiæ administrat.* Fuit is Senator Jerosolymitanus, ut plerique conjiciunt ex eo, quòd ibi habitabat, ibi enim exciderat sibi sepulchrum. De eodem fertur, quòd à Judæis, navi sinè velis & remis cum Magdalena, Martha, Lazaro & Maximino impositus, appulerit Massiliam indequè in Angliam navigaverit, ibiquè Christum Prædicaverit ac defunctus sit. Vide Card: Baronium ad Annum Christi 35. Hujus Sancti Joseph memoria habetur 17. Martii, in Martyrologio Romano.

256. *Nota 3tiò.* De Nicodemo leguntur hæc apud S. Joannem, cap: 3. *Erat homo ex Pharisæis Nicodemus Princeps Judæorum* (id est inter Judæos Primarius, & Senator) *hic venit ad JESUM nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à DEO venisti Magister, nemo enim potest facere signa, quæ tu facis, nisi fuerit DEus cùm eo.* Vocaturquè ibidem à Christo D. *Magistèr in Israel.* Et cap: 19no. dicit S. Joannes. *Venit autem & Nicodemus qui venerat ad IESUM noctè primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libros centum* ut magnificè JESUM condiret & sepeliret. Mercedem hujus officii, charitatis, & sepulturæ Christi ab Eo recepit amplam, non solùm enim per Ejus gratiam factus est Christianus, sed etiam Confessor ac semimartyr: *Nam cognoscentes Judæi illum esse Christianum, amoverunt eum è Principatu suo & anathematizaverunt, ac de Civitate exùlaverunt quem S. Gamaliel sustulit in agrum suum, & vestivit usque ad finem vitæ ejus & defunctum honorificè sepelivit.* Ut refertur in Libro, quem S. Lucianus Presbiter scripsit de inventione Corporum S. Stephani Protomartyris, & Sanctorum Gamalielis, Nicomedii & Adiboni quæ ipse Divina revelatione invenit. Nicodemus hic in Martyrologio Romano adscriptus est Sanctis cum S. Stephano. die 3tia Augusti.

Quis item Nicodemus?

257. *Quæritur 2dò. Qualiter nam Christus de Cruce depositus*

 positus

De Christi D. depositione de Cruce.

positus fuerit? *Respondetur.* Multùm probabile est, Christum de Cruce depositum esse extractîs Clavîs ex Ejus Sacratissimis manibus & pedibus, stante & erecta Cruce manente, non autem Crucem simul cum Sacro Corpore demittendo ad terram. *Ratio* est, quia hoc indicat antiqua communis Ecclesiæ pictura, hancquè approbat communis sensus fidelium. Et fortasse (ut notat P. Suarez) quamvis Pilatus dedit facultatem deponendi Corpus, non intelligitur illam etiam dedisse ad tollendam Crucem. Solet enim hoc habere usus Reipublicæ, ut cùm aliquis publicè damnatur propter delicta publica & scandalosa, vel corpus ejus maneat in loco supplicii, vel si datur facultas deponendi corpus, saltem maneat patibulum, quasi in signum supplicii ad aliorum terrorem. Hac ergo ratione fortè accidit, ut Corpus Christi deponeretur de Cruce, non verò Crux ipsa è proprio loco tolleretur. Forsan enim in eodem loco mansit usquè ad eversionem Jerusalem, & casu factum est, ut ruinîs contecta fuerit.]

258. *Sub hoc quæsito. Nota imò.* Metaphrastes ad diem 15. Augusti Scribit. *Beata Virgo in Christo Domino de Cruce deponendo, maternis manibus inservivit, & clavos, qui extrahebantur, in sinu suo accepit; & membra Ejus amplexa est, partim quidem ulnis adstringens, partim quidem suîs lachrimîs plagas emundans, deinde tota toti corpori circumfusa: Ecce tibi ab omni sæculo præfinitum mysterium, ad finem usque venit; ò Domine, placida voce dicit; & Iosepho in manus tradens sudarium, ait: Tibi autem deinceps curæ erit, ut sepulturæ tradens, sic Eum honestè componas, myrrhâ condias, & ei justa facias.* Idem Metaphrastes locô citato asserit Deiparam mansisse semper apud Christi sepulchrum usquè ad ipsam resurrectionem, sed cùm sepulchrum esset militibus cinctum, non videtur id decuisse Beatam Virginem (ut prudenter Tomô 4tô Commentariorum in Evangelia notat Theologiæ Doctor, Vir consummatæ eruditionis & scientiæ, Pater Barradius) nisi fortè in horto illo Joseph domus aliqua erat, in qua cum Joanne & aliis fæminis honestè manere potuerit.

259. *Nota 2dò.* Accepto Corpore Christi D. involvit illud Joseph in Sindone munda ut ait S. Matthæus cap: 27. *Et hic est* (ut Beda dicit super Marcum & approbat S. Thomas 3. p. q. 51. art: 2) *Ecclesiæ mos obtinuit, ut sacrificium altaris, non in serico neq; in panno tincto, sed in lino teoreno celebretur, sicut Corpus Domini est in sindone munda sepultum.*

Venerabilis Pater Gaspar Druzbicki Vir Apostolico Spiritu in agendo, admirabili lumine in plurimis conscribendis Voluminibus, sublimi prudentia in regendo, conspicuùs. In suis selectissimis stromatibus de Passione Christi, Paragraphò 175. inter alia notatu dignissima habet hæc. [Munda sindone involvit " Corpus JESU, qui pura mente suscipit Sacrosanctum Eucha- " ristiæ Sacramentum, vel celebrat Sacrificium. Bone DEUS, " in Linteolo Altaris, quod Corporale ab usu ejus ad inviven- " dum Sacramentum vocamus, maculas, foramina minuta ca- " vemus. Corda nostra tam munda esse, ut dignum est Eucha- " risticô seu Sacramentô, seu Sacrificiô non curamus. Utinam " à sindone Josephi munda, discerent Ecclesiasticorum non pau- " ci, munditiem circa Templa, circa Altaria, circa Sacramen- " ta. At ubi est; fides? Certè, sat crebrò reperies mundiora " à Sacerdotibus adhiberi linteola ad nares emungendas, quàm " Corporalia ad Sacrificia peragenda, vel sacramenta servanda. " O pudor! ò scandalum! ò fidei nullius fructus! ò DEI conte- " mptus! Hucusquè V. P. Druzbicki Confirmationis in gratia, " & prophetiæ donô, communiq; sanctitatis eximiæ famâ, il- " lustris.]

Adversio per utilis.

260. *Nota 3tiò.* Postquam Christi D. Corpus, sindone munda fuit obvolutum, delatum erat ad sepulchrum, quod à Monte Calvariæ distabat centum & octo pedibus, & collocatum in sepulchro novo, Capite occidentem versùs disposito. ut refert cum plurimis Christianis Adricomius in descriptione Jerusalem. Numerô 239. Sindoni illi imaginem sui Corporis & cicatricum suarum vestigia impressit Christus D. ut habet Traditio orthodoxa & variorum Summorum Pontificum Bullæ & Brevia.

Sindon Christi D: admiranda.

via. Hæc ſacra ſindon in Eccleſia Taurina, piè colitur & cuſtoditur, dequa copioſè & ſapienter tractat Alphonſus Paleotus Archiepiſcopus II. Bononienſis in Libro ſuo, cui titulus: *Hiſtoria admiranda de IESU Chriſti ſtigmatibus explicata.* Quam etiam figurîs æneis, Quæſtionibûs, Contemplationibûs & meditationibûs piîs, R.P.F. Daniel Mallonius illuſtravit & dedicavit Paulo V. V. Beda etiam de locis Sanctis. cap. 5. teſtatur, illud ſudarium, quô Caput Domini eſt involutum in ſepulchrum, quod divina virtute, ab incendio remanſerat illæſum eſſe ad poſteros translatum. Ab hoc diverſum ſudarium illud exiſtimatur (inquit Card. Baronius ad Ar: 34. cum pluribus) quod vulgò ſudarium Veronicæ dicitur, quodq; præſefert, faciem Chriſti impreſſam, ſudore & Sanguine aſperſam. de qua vide ſuperius dicta, in Quæſtione XV. à numero 126. ad numerum 130.

Calvinus hæreſiarcha, lib: de Reliquiis. obiicit. *Evangeliſtæ non ſcribunt, Chriſtum imaginem ſui Corporis, ſindoni illi impreſſiſſe. Ergo mentiuntur Papiſtæ, & imperitam multitudinem miſerè ſeducunt, cùm hoc affirmant.* Quanta cæcitas Calvini, volentis hìc, & in aliis pluribus aſſertis Catholicorum, eos hujuſmodi argumento impugnare, cùm S. Joannes Evangeliſta cap: ultimo, clara voce denuntiet. *Sunt & alia multa, quæ fecit IESUS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſunt ſcribendi libros*

Conveniens fuit Chriſtum D. ſepeliri.

261. *Quæritur 3tiò. Convenienſne fuerat Chriſtum Dominum ſepeliri? Reſpondetur* affirmativè. Rationes hujus dat Angelicus Doctor S. Thomas in 3. p. q. 51. art: 1. *Primò quidem ad comprobandam veritatem mortis; non enim in ſepulchro aliquis ponitur* (præſertim à veris & fidelibus amicis) *niſi quando jam de veritate mortis conſtat. Unde & Marci Cap: 25. legitur. quòd Pilatus antequam concederet Chriſtum ſepeliri: diligenti inquiſitione cognovit, Eum mortuum eſſe. Secundò, quia per hoc, quòd Chriſtus de ſepulchro reſurrexit, datur ſpes reſurgendi per ipſum his, qui ſunt in ſepulchro, ſecundùm illud Ioannis cap: 5. Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent. 3tiò. Ad*

exemplum

exemplum eorum, qui per mortem Christi Spiritualiter moriuntur peccatis, qui scilicet absconduntur à conturbatione hominum. Unde dicitur ad Colossenses cap: 5. Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Unde & baptisati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo per immersionem secundùm illud S. Pauli ad Roman: Cap: 6. Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem.

Accedit. Quia voluit Christus Dominus hoc exemplo suo indicare, curam sepeliendi mortuos, honestam esse, & ad pietatem & misericordiam pertinere; quam etiam rationem attigit Divus Thomas hìc articulô 2.

262. *Quæritur 4tò. Christus Dominus cur sepultus est in horto? Cur in monumento novo, in quo nullus erat positus? cur in monumento è petra exciso? Cur in alieno?* Sepultura Christi D. circumstantia.

Respondetur ad Quæsiti primam partem. Quia ut dicit Doctor Angelicus in 3. p. q. 51. art: 2. ad 4. *ad significandum, quòd per mortem & sepulturam ipsius liberamur à morte, quàm incurrimus per poccatum in horto Paradysi comissum.* Ideoq; in horto passionem exorsus Christus, in horto consummavit & sepultus.

263. *Ad 2dam Quæsiti partem respondet S. Augustinus Sicut in Mariæ Virginis utero, nemo ante illum, nemo post illum conceptus est, ita in hoc monumento, nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.* Et S. Hieronymus dicit: *In novo ponitur monumento Christus, ne post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur.* Non decebat item Sanctissimum ipsius Corpus, quod, ut unitum fuerat Naturæ Divinæ, ita corruptionem non erat subiturum, misceri putridis Cadaveribus peccatorum.

264. *Ad 3tiam Quæsiti partem, Respondetur.* Ideo Christus D. elegit sepulchrum ex petra, non ex pluribus lapidibus ædiscatum aut terreum. Tum ut ait S. Hieronymus in Caput 27. Matthæi. *In monùmento novo quod excisum fuerat in petra, conditus est Christus; ne, si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furtô diceretur.* Si etiam sepultus

fuiſſet in terra, dicere potuerant Judæi: ſuffoderant terram Diſcipuli, & furati ſunt eum. Sicut S. Auguſtinus notat in ſermone 2. in Vigilia Paſchæ. Tum, quòd voluerit ſepulchrum ſuum immobile eſſe, nec unquam aboleri, prout hucuſque illud inter tot Jeroſolimæ devaſtationes ſervat inviolatum.

265. Demum in alieno ſepulchro depoſitus. Tum quia ut ait Theophylactus ſupra Joannem. *Qui non habuit domum in vita, neque poſt mortem, ſepulchrum habet, ſed in alieno deponitur & cum ſit nudus, a Ioſeph veſtitur.* Tum quia *ideo* (inquit S. Auguſtinus Sermone 139.) *in aliena ſepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute. Ut quid illi propria ſepultura, qui in ſe propriam mortem non habebat? Ut quid illi & tumulus in terris, cujus ſedes manebat in Cœlis? Ut quid illi ſepultura, qui tridui tantum temporis ſpatiô, non tam in ſepulchro mortuus jacuit, quàm velut in lecto quievit?* Habeant tumulum (inquit S. Ambroſius lib: 3tiò de Virginibus) qui ſub lege ſunt mortis. Victor mortis, ſuum tumulum non habebat.

266. Nota hìc 1mò. Nicephorus Libro 1mo Hiſtor: cap: 32. aſſerit, ſepulchri oſtium ferrô clauſum fuiſſe. *Traditum;* (inquit) *eſt nobis ab antiquis, Judæos lapidem illum, qui in ſepulchro pro operculo poſitus fuerat, ad ſummum monumenti labrum petramque infernè ſe illi conjungentem, ferramentis quibuſdam fabrilapicidarum arte perforâſſe, ferrumque ingens à fabro ex propinquo acceptum per utrumq; foramen immiſiſſe, & in circuli ſive annuli formã circum egiſſe atq; ita firmiter Capitibus commiſſis omni ex parte quaſi vinculum circumduxiſſe, ut lapis qualicunq; modo revelli loco ſuo, aut ſaltem ratione aliqua removeri non potuerit, niſi arte quapiam & vi adhibita neceſſarit, aut ferrum confringeretur, aut petra rumperetur.* Hucusq; Nicephorus. S. quoq; Beda de Locis ſanctis cap: 2. dicit, ſuis etiam temporibus, illum ſuperpoſitum lapidem, monſtraſſe veſtigia ferreorum vinculorum.

Concludo etiam Librum hunc iis verbis, quibus olim melliſluus Doctor concluſerat S. Bernardus Epiſtolam ſuam celebrẽ 174. ad Canonicos Lugdunenſes. *Quæ autem dixi, abſq; præjudicio ſanè dicta ſunt ſanius ſapientis; Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atq; Examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo, ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus Judiciô emendare.*

FINIS.